

litas, aut color saltem quantumcumque mutatus. JOAN. CASSIAN., *coll.* XIX, c. 1.

Cum S. Spiridion ad Imperatorem, a quo evocatus erat profectus, admodum vili habitu regiam ingrederetur, quidam indecorum ratus tam abjecta specie virum intrare palatium regium sacræ ejus maxillæ colaphum infregit. Tulit in non modo patienter vir Sanctus, sed et alteram prompto patienti animo percussori exhibuit. Quæ res insolentem, illum tanto pudore affecit, ut repente ei supplex fieret, et inconsideratæ audaciæ veniam peteret: quam libens concessit, et hominem paterne introduxit, ut ab inferenda injuria se contineret. Quo factum est ut a viris principibus honore haberetur, qui eum summa reverentia ad Imperatorem deduxerunt. SURIUS, 24 dec.

Alexius Patricius Romanus sicut paupertatis voluntariæ perpetuus observator, ita ad tolerandas injurias patientiæ extitit assiduus color. Mendicus, ut Christum lucraretur, sponte factus, cum in Syria de elemosynis vixisset, Romam rediit, et in paterna domo pro inope susceptus, annos decem et septem nulli cognitus mansit, eo tempore a servis patris indigna passus, dumque acceptus, non se prodidit, neque de aliquo conquestus est. Rideri, verberari, fœda colluvione perfundi a mancipiis patienter sustinuit, ut Christum suum (cujus paupertatem secutus fuerat) tolerantie quoque humilitate exprimeret. MARUL., lib. V.

Euphraxia virgo coram illa a qua contumeliam indigne acceperat, ad genua prociens, veluti quæ offensusset, veniam petiit. Abbatissa etiam in illam animam vertere volenti, ut missam faceret, supplicavit, nihil ei mali referre cupiens, a qua passa injuriam fuerat, ut patientiæ remunerationem a Deo sperare posset. *IBID.*

Elisabetha Pannoniæ Regis filia, postquam, amisso viso distractisque fortunis, Deo in paupertate servire cœpisset, forte per semitam pergens hinc inde laciniosis in silicibus voraginosam, notæ cuidam fœminæ et in quam non pauca quondam beneficia contulerat, facta esse obviam. Quæ contempnim admodum superbeque incurrens ipsam, quam antea colerat, tunc per injuriam adversum antepulsum latere evertit in lutum, atque præterit. Multo ergo deturbata cœno Christi ancilla, nihil indignationis præ se tulit, sed tacita tantum subrisit, gaudens se ab hominibus despicere ut placeret Deo. *IBID.*

QUALITAS PATIENTIÆ IN MORBIS. — Servulus mendicus toto vitæ suæ tempore paralysis laboravit, ita in movere se non posset, semper in novis morbi accessionibus gratias Deo agebat, unde et Angelorum cantus in morte audivit, et odore suavissimo fragavit. MARUL., l. V, c. IV.

S. Clara per viginti octo annos afflicta gravissimis morbis, nullum sibi dolorem gravem esse confessa est, postquam Christi gratiam cognovit. SUR., in *Vit.*, 12 jul.

S. Lyduvina continuis, triginta octo annis extraordinariis morbis et doloribus lecto sic affixa, ut nec surgere, nec pedes terram tangere potuerit, maximos eo tempore favores a Deo accepit. *IB.*, t. VII, f. 277.

S. Bona Monialis canero laborans, cum ubera vermibus scaterent illorum unum, licet ægre, S. Dominico petenti porrectum in gemmam primo, deinde vero, ubi redditus est, in vermem iterum conversum vidit. RODR., p. I, *Trac.* VIII, c. XVIII.

S. Gertrudis cum Christus ei apperens, et una manu infirmitatem, altera sanitatem portans, opinionem eligendi fecisset, respondit: Unicum cordis mei desiderium est, ut non mea, sed tua voluntas fiat. *IBID.*

Abbas Benjamin etsi solo tactu alios curabat, se tamen nunquam a gravissimo hydropis morbo curare voluit, id unicum accedentibus dicere solitus: Orate Deum pro anima mea, de corpore nihil solliciti, quando illud et sano mihi in re nulla unquam commodavit. *IBID.*

Barnabas Monachus cum iter faciens præcuti ligni particulam pedi infixisset, nunquam eam extrahere voluit, visitantibus dicere solitus, quod, quanto plus mortificaretur homo exterior, tanto amplius interior, qui secundum Deum formatus est, vivificaretur. *Prat. spir.*, c. x.

Senex quidam frequenter ægrotare solitus, cum quodam anno liber ab omni morbo fuisset, graviter affligebatur, et dicebat: Dereliquit me Deus, et non visitavit me. *Vit. PP.*, l. V, c. VII, n. 41.

S. Dominicus cum graviter ægrotans a Socio moneretur, ut solatium a Deo peteret, primo ipsum increpuit dicens: Nisi de tua simplicitate mihi constaret, te protinus hinc expellerem, quod hæc dicere non sis veritus; dein in humum se abiciens gratias, inquit, tibi ago mi amantissime Deus, pro his, quæ mihi dedisti perferenda. Auge dolores, multiplica cruciatus, da cen-

tum morbos; dabis etiam, sat scio, simul patientiam. *Chron. f. dom.*, c. n, § 45.

Simili modo Margarita Austriaca Philippi tertii Hispaniarum Regis olim conjux, cum gravibus afflicta morbis ostensa Christi crucifixi effigie moneretur, ut ab eo mali remissionem flagitaret, apage, inquebat, neque enim decet Christum plagis et ærumnis confectum in Cruce pendere, et me a minoribus malis liberari velle: ac mox ad Christum oculos convertens, auge, dicebat, Domine, dolores, et da patientiam. LYRÆUS, l. I, *Apoph.* III.

Nicolaus virgo in Picardia omnes Christi cruciatus, sola morte excepta, et Matris dolorum Regina dolores volebat sentire, Et videtur partem non infimam impetrasse. Quinquaginta annis jacuit inter dolores, quasi jubilæum doloris et mortis. Intumescerebat, detumescerebatque quotidie, flammæque videbatur spirare tenerum corpus. Cancer illi pectus omne, ac lingua depastus est. Accessere pertinaces stomachi lapidisque dolores. Et quidem Festis majoribus, ut in Ecclesia duplex officium, ita ipsi duplex dolor. Videbatur in solemnitatibus Festorum totis viginti quatuor horis, quasi in hora mortis, fuisse in agone posita. Et tamen quasi cœlesti quodam dolorum hydropre plena, petebat avidissima insatiabilitate febrium genera, et dolores omnes, puncturas, tumores, etc. At vires ad hæc ab altari sumebat, nam et Sacris intererat, et cœlesti pane reficiebatur quotidie devotione admirabili. Ita post quinquaginta dolorum annos pulla corporis laceri ac mortalitatis veste exuta, quadraginta totis horis, clausis oculis, jacuit; et passionem sibi legi postulavit, flens acerbissime, quod durum haberet Deum, qui illi non plures, nec majores dedisset dolores; nihil enim se hucusque passam fuisse. NADAST, in *anno Eucher.*, Hebd. XXXVII, n. 7.

In *Prato spirituali* de quadam nobilissimæ prosapie raræque pulchritudinis fœmina legitur, quod, cum adeo facta fuisset leprosa, ut omnibus eam aspicientibus horriresset, cunctis de familia sua aliusque cognatis ipsam deplorantibus, sola ipsa hilaris et jucunda manebat; cumque Episcopus quidam oculis lacrymas ex compassione manantibus, ipsam consolationis causa accessisset, mulier hæc per evidentia internæ hilaritatis signa omnem a Prælo illo novit depellere tristitiam, dicendo: Cur hoc in

me donum et speciale gratiam, quam dilectus meus Christus Jesus mihi præstitit, admiraris? Dic sodes, si aliquis tali cum conditione carceri esset inclusus, ut inde egredi numquam posset, donec carceris muri et parietes e fundamentis corruerent: in hunc vero carcerem condemnatus videret, quod prædicti muri paulatim corruerent, et totalem minarentur ruinam pro ejus liberatione, numquid merito talis lætificaretur? Ita quoque anima christiana in mortalis corporis carcere constituta videns corporis sui vitam et salutem paulatim terminari, seque ex captivitate carnis mortalis brevi liberandam esse, justam habet causam lætandi. MARX, d. XII, n. 4.

P. Joannes Rho de inelyta Dei ancilla Ursula Benincasa virgine Neapolitana sequentia scribit: Quam acres et vehementes sint calculi dolores, ut neminem experimento scire velim, ita unum aliquem esse, qui non aliquando audierit, non opinor; itemque neminem tam duræ atque horridæ virtutis, qui laborantibus, sin minus clamores atque ejulatus, quales plerumque viris etiam fortibus expressit doloris immanitas, gemitum tamen aliquem, aut saltem levem vocis significationem, non permittat. Vix igitur credi posset, nisi post mortem secto corpore id factum fuisset palam, prægrandem calculum eam tamdiu cruciasset, quandiu quotidianis dolorum incrementis, ad eam evaserit magnitudinem; quos illa dolores adeo dissimulavit, ut nemo quereantem, nemo leviter ingemiscentem audierit, nemo, ut verbo dicam, sciverit. Quantum hic licuit patientiæ, quæ sibi ex illo calculo super Erythæas gemmas illustriorem coronam efformavit? JOAN. RHO, l. VIII, c. IV, n. 5.

QUALITAS PATIENTIÆ IN AFFLICTIONIBUS ANIMI. — Christus in Cruce pendens magna voce clamavit: Deus meus, ut quid dereliquisti me. MARC., XV, 34.

S. Catharina Senensis per multos dies omni consolatione spiritali destituta, et foedissimis insuper cogitationibus impugnata, majori cum fervore orabat, seque ipsam sic colloquebatur: « Tu vilissima peccatrix non mereris ullam consolationem. Quid? non esses tu contenta, si damnationis æternæ sententiam evaderes, etiamsi tenebras hæc atque tormenta, tota vita tua pati cogereris? certa es, nec velle, nec debere te servire Deo pro recipiendis consolationibus hujus vite, sed ut eo gaudeas in æterna vita. Erige

teipsum igitur, et orationem proseguere, in fidelitate Domini Dei tui perseverando. *ROD.*, p. I, tract. viii, c. xxix.

Quidam eximius Dei servus cum extraordinariis, quas a Deo acceperat, illustrationibus indignum se ratus, eas a Deo auferri petisset, et ideo, integro quinquennio in summis desolationibus relictus fuisset, tandem duobus Angelis eum consolari volentibus dixit, non petere se ullam consolationem, sed sufficere, quod Dei voluntas in ipso adimpleatur. *IR.*, c. xxix.

Cum S. Birgitta quondam Christo quæstæ esset, se a vanis et inutilibus cogitationibus, timoreque iudicii tantopere vexari, respondit illi: « Hæc esse consummata perfectæque iustitia, ut, sicut tu olim in sæculo contra voluntatem meam talibus vanitatibus te delectabas, nunc contra voluntatem tuam vanis et mundanis cogitationibus vexeris. » *BLOSUS, in Monit.*, c. x.

Quidam eximius Dei servus dicebat: « Quadraginta jam annis servio Deo in multa oratione, sine ullo gustu et consolatione, eo tamen die, quo eam facio, suave mihi experior et expeditum virtutum exercitium; at quando ipsa in hoc desum, sentio meipsum totum flavidum ac pæne exarescentem. » *ROD.*, p. I, tract. viii, c. xxix.

Joannes Taulerus refert, multos ad se venire dicentes, male sibi esse, multisque et gravibus tribulationibus se agitari, quibus ipse responderit: « Imo bene tibi est, et belle procedit negotium, gratiaque est, quam tu penam arbitraris; » cumque instarent ipsi, sed hoc culpa mea accidit: ipse iterum dixerit: Demus ita esse. Tu tamen Crucem quam Deus tibi imponit, libenter amplectere, ipsique te plene resigna. « Cumque illi rursus replicarent, se ariditate spirituali, ac tenebris vexari atque consummi: ipse rursus quoque dixerit: Et hoc ipsum æquanimiter feras, majorem enim tibi accerset gratiam, quam si multa sensibili devotione perfundereis. » *BLOSUS in Consol. pusi.*

QUALITAS PATIENTIÆ IN IACTURA CHARORUM. — De S. Job dicit S. Basilius: « Nonne Job adamantino corde erat? non impacta ipsi erant ex lapide viscera? momento temporis una et eadem plaga obrithi liberi deceni ceciderunt in perquam amœna domo. Non ejulavit, non sibi divulsit comam. Non ingenerosam nullam emisit, magis vero celebrem illam, et omnium ore decantatam

gratiarum actionem deprompsit? Dominus dedit, Dominus abstulit. S. BASIL., hom. iv, de Grat. act.

Abraham cum unicum haberet filium, cumque manu sua interficere juberetur, non restitit imperanti, non rationem facti poposcit, sed tanta cum alacritate paruit, ut plura quoque si imperata fuissent, facturus fuisset. *IBID.*

S. David, teste S. Ambrosio, moriturum filium flebat, mortuum non dolebat. Flebat ne sibi eriperetur; sed flere desiit ereptum, quem sciebat esse cum Deo. Et ut scias, verum esse, quod assero, incautum Ammon filium flevit occisum: parricidam Absalon doluit interemptum, dicens: « Filius meus Absalon, filius meus Absalon. » Innocentem filium non putavit esse lugendum, quia illos sibi perissee lugebat pro scelere, hunc pro innocentia credidit esse victurum. S. AMBR., in Or. de obitu Valent. Imp.

Mater Machabæorum spectabat læta filiorum, quot funera, tot trophæa, et morientium vocibus tanquam psallentium cantibus delectabatur, pulcherrimam ventris sui citharam in filiis cernens, et pietatis harmoniam omni lyra numero dulciorem. *IBEM.*, l. I, offic., c. xli.

S. Melania calente adhuc mariti corpusculo, et necdum humato, duos amisit filios. Et tamen lacrymæ gutta non fluxit, stetit immobilis, et ad pedes Christi advoluta quasi ipsum teneret, arrisit. Expeditius, inquit, tunc tibi servitura sum, Domine, quia tanto me onere liberasti. S. HIER., ep. xxv.

QUALITAS PATIENTIÆ IN MARTIRIO. — S. Ignatius Martyr ad bestias damnatus dicebat: « Utinam fruar bestiis, quæ mihi paratæ sunt, quas et opto veloces esse ad interitum. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me ingeram. Ignoscite, filii, quid mihi prosit, ego scio. Nunc incipio esse Christi discipulus, nihil de iis, quæ videntur, desiderans, ut Jesum Christum inveniam. Ignis, crux, bestia, confractio ossium, membrorum divisio, et totius corporis contritio, et tormenta diaboli in me veniant, ut tantum Christo fruar. » *BARON.*, t. II, *Annal. sub an.* 169.

S. Dionysius M. jubente Diocletiano fustibus plumbatis, dein equuleo suspensus, et virgibus cæsus, admotis etiam lampadibus miserabiliter ustulatus, pro ejulatu clamorem edebat, quo se Christianum esse asseveraret. Etsi milies, inquit, occidi possem, Dominum

meum Jesum confiteri non cessarem. *MARULUS*, l. V, c. v.

S. Martinus Martyr tenellus Martiani Praefecti jussu bubulis loris flagellatus, in equuleo unguis laceratus, ad machinam applicitus, arbori ad medium usque scissæ insertus, in ferrea crate tostus, plumbo liquato perfusus, in fritorio coctus, in cacubum pice bullientem coniectus, feris immanibus objectus, in fornacem missus, ubique salvus evasit, donec tandem capite truncatus obiit. *IBID.*

S. Vincentius Martyr cum in equuleo subblatus a Daciano Præsidi per ludibrium quaereretur, ubinam esset? « in sublimi, inquit, unde te potestate terrena tamentem aliter despicio. Graviora minitanti, non minari mihi videris, inquit, sed, quod volis omnibus concupieram, offerre. Igitur cum unguilas, faces, prunas, toto corpore dilacerato constanter exciperet, dixit: Frustra flagigaris, Daciane; non potes tam horrenda excogitare tormenta, quam ipse paratus sum sustinere. Carcer, unguilæ, candentes lamina, morsque ipsa ludus, jocusque Christianis sunt, non tormentum. » *IBID.*

Duo adolescentes cum ad immolandum cogereantur, petierunt ad altare duci quo ubi pervenerunt, super prunas manus imposuerunt, quæ in altaribus erant, et dixerunt: « Si manus hinc amovebimus, sacrificasse nos existimate: » et ita perseverarunt, quoad omnis caro consumpta est. *GRANAT.*, in *Symb. fid.*, l. II, c. xviii.

S. Ladmundus Rex Angliæ cum se ad hostibus undique vallatum cognosceret, de consilio Humberti Episcopi ad Ecclesiam fugit, ubi a Ministris impiis extractus, et ad arborem ligatus ditissime flagellatur, dein sagittis tam nullis velut meta transfoditur, ut vulnere jam non locus superesset, quousque denique et caput ei avulsus est. *BARON.*, t. X, an. 870, n. 42.

UTILITAS. — S. Jacobus, cum ei dæmon minaretur, se eum infamia obruturum, ut nemo illum aspiciat, respondit ille: Agam tibi gratias, invitus enim tuum inimicum beneficium afficies, ut qui efficies, ut magis versetur in Deo recordatione. *THEODORETUS, Hist. rel.*, c. xxi.

S. Cyprianus audita mortis sententia, Deo gratias, et spiculatori viginti quinque aureos numerari jussit, significans se beneficium ab eo accipere, non interitum. *PELEC.*, l. III, de Off. rel., c. iv.

B. Guilielmus Rolchildensis in Dania Abbas nonagesimum agens annum, vidit per noctis quietem Angelos coronam auro gemmisque distinctam affabre textentes, cumque obstupescens quaereret, cui eam apparerent respondentes audivit, sibi parari, et tunc perficiendam esse, cum satis passus esset. *LYREUS, in Apoph. S. Ign.*, l. III, c. i.

Patientissimus Libertinus scabello suppedaneo percussus, dum humiliter sustinet, et quæsitus, quis eum in facio tam fœde deformasset, se in scabellum incurrisse respondit, sævitiam sui Abbatis, quo percussus fuerat, mitigavit. *SPEC.*, exc., d. i, ex. 5.

S. Magdalena de Pazziis cum adverteret, se sine cruce esse, suaviter cum Sponso suo expostulabat dicens: « Heu, mi Domine, ut quid a pacis inter nos conventis discedis? peggi nullum mihi mel aut dulcedinem dari nisi fel tuum et acetum, nullas delicias, nisi tua supplicia, nullant aliam vitam nisi in perfectissima conformitate cum tua vita. » *KISSEL.*, t. I, conc. X, § 17.

Quidam frater quaesivit ab Abbate Isaac, quare dæmones eum tantum timerent? Respondit: « Ex quo factus sum Monachus, statui apud me, ne impatientia, vel iracundia verbum extra guttur meum exierit. » *MANSI.*, d. xiv, n. 5.

Evocatus est aliquando P. Balthassar Alvarez ad Monialem Carmelitanam cum suprema ægritudine colluctantem, ivit ipse, licet febricitans laboraret, et cum ægra agens, vires illi defecere, vel potius, ut astantium Sanctimonialium quædam opinata sunt, mens illi in arcanorum cognitionem, quasi a sensibus abalienata, rapta fuit, quod facies ejus, ad instar Seraphini ardore celestis succensa, testari videbatur. Is ergo ad se reversus dixit, Deum illi Monialiam magnam in celo apparasse gloriam, qua paulo post potiretur, et octo mensibus, quos cum morbo conflictans patienter exegerat, plus accumulasse meriti, quam nonnullæ aliæ bene sanæ pluribus annis congregassent; ita patientia amori conjuncta, et in hac vita cæteris virtutibus quaestuosior est, et in altera apud Judicem ad coronam et præmium illustrior et fructuosior. *PENTQUIN, in Isagog.* p. I, c. v.

Joannes Avila Sacerdoti morbo laboranti per litteras respondit, ne inspicat, quid agere posset, si sanus esset, sed quomodo in illa sua ægritudine plurimum placere possit Deo: in quo honorum rostrorum summa

consistit : utque jumentum molam versatilem oculis clausis circumagens, et a molæ centro nunquam sejunctum, per diem integrum bonæ farinæ plurimum mollit, ita patiens animus voluntati divinæ, tanquam centro suo per amorem semper inhærens, mirum, quantos faciat in virtute progressus quantumque mercedis pro altera vita exagere. Unde satis mirari non possum querulas animas, quæ quasi per morbi occasionem ab omni spe promovendæ Dei gloriæ deciderint, non tam de ægritudine, ejusque incommodis conqueruntur, quam istam jacturam sentire sibi videntur, quasi Deus earum egeret opera, et de utilioribus operariis providere sibi non posset; vel potius quasi ipsæ pro operariis preces fundendo et in eum finem molestias doloresque Deo offerendo, plus ad lucrum animarum, divinæque gloriæ augmentum momenti adferre non possent, quam dum in similes querelas abeunt, et a pacifica morbi tolerantia, per inutilia desideria, non sine amoris divini dispendio, miserabiliter divagantur. *Iam.*

P. Rho de Duce Gijosa, qui religionem Capucinorum professus fuit, aliud æterna memoria dignum narrat exemplum, quod verissimum esse confirmat, patientiæ virtutem ejus esse energiam, ut fidem nostram Christiano-Catholicam, verissimam, et a Deo esse, firmiter omnibus persuadeat. Ait enim: « Franciscus Gijosensis ex Duce tota Gallia celeberrimi nominis, jam Christi pauper Capucinorum disciplinam secutus, pedes de more cum peregrinaretur, divertit ad pagi dominum, clientem olim suum. » Homo hæreticus, ut adesse Capucinos intellexit, jussit internuncio famulo, ut abirent in malam crucem, atque illico facerent, vix ab eodem famulo summis precibus impetratum est, ut clam nocte illa esse liceret, et jucundissime illi quidem noctem traduxere, illius charitate et recordatione, quæ Christum Deum in stabulo nasci voluit, moxque alben-te celo abiere. Haud multum confecerant viæ, cum Franciscus idoneum nactus hominem Dynastæ denunciare jubet. Gijosensem Duce pro hospitio gratias agere. Perculit hominem inopina denuntiatio, admissoque equo Dei servum assecutus, ad pedes desiliens et genua amplectens, dum officii atque humanitatis excusat errorem, fidei exiit, nam ab Gijosense leniter increpitus, admonitusque, ut Christi Domini humilitatem, ac

paupertatem in illius servis agnosceret, meliorem mentem induit, pro omnibus disputationibus, omnibusque argumentis incredibilis illa sui despicientia. *RHO., l. VI, c. III, n. 4.*

Vir quidam probus per integrum laboraverat triennium simul cum sene quodam, qui totum laboris lucrum pro vino in potum suum exquendebat; hic autem tametsi vix haberet, unde famem suam siccò pane comperceret, semper laborabat; cumque quasi nudus factus esset, eidem discedere volenti Angelus Domini apparuit, eique dixit: « Patientiam habe, quia die sequenti in celum tecum conscendes, » de qua promissione vir ille patiens assecutus, seniori dixit: « Non discedas hinc alicubi, quoniam adventum hodie mei tollere me; cum hora facta fuisset, qua solebat desidere ad vicium dixit fratri: Non venient hodie filii, jam enim tarde est. » Et ille dixit ei modis omnibus, quia venient, et cum loqueretur cum eo, dormivit in pace. Senex autem flebat dicens: « Heu me filii, quia multis annis sub negligentia vivo, tu autem parvo tempore salvasti animam tuam per patientiam, et ex illo die factus est senex sobrius et probatus. » *Vit. SS. PP., l. V, lib., l. VI, n. 14.*

Idem auctor ulterius progreditur, aliud narrando exemplum de quodam, qui sancto cuidam Eremitæ inserviebat; hic enim quicquid invenire poterat, maxime de rebus comestilibus, hoc totum clam et abscondite rapiabat: dissimulabat id ipsum servus Dei, at vero longo tempore magnam coactus est pati famem. Cum autem mori cœpisset senex ille, circumsteterunt eum fratres, et respiciens in eum, qui furabatur, dixit ei: « Junge te huc ad me, et tenui, et osculatus est manus dicens: « Gratias ago istis manibus, quia propter istas vado in regnum celorum. Unde vides, quod pro cœlesti gloria, quæ Protomartyri crudelem adeo lapidationem constitit, Laurentio igitur crafticulam, Ignatio leones, et tot aliis sanctis Martyribus horrenda supplicia, bonus hic senex aliud nihil expendit, quam solum patientiæ continuum exercitium. » Hic ei sola fuit, per quam conscendit in paradysum, potuitque post adeo penosam famem vere dicere: « Satiabor, cum apparuerit gloria tua. » *Ibid.*

Annales Ecclesiastici ex responso quodam S. Ludovici Regis Franciæ evidenter osten-

dunt, quanto magis sit lucrum, quod per patientiam acquiritur, omni eo, quod ex omnibus aliis actionibus heroicis comparatur. Cum enim hic Rex ex Ægypto et Asia, ubi belli illius, quod ad Dei gloriam, et totius Christianismi commune beneficium adorsus fuerat, infaustum sortitus fuerat exitum, innumerasque ærumnas sustinuerat, reversus fuisset, in familiari sermone cum Henrico Rege Anglorum de initis a se periculis, ac de toleratis ad proferendam divinam gloriam in Asia et Ægypto laboribus loquebatur, dicens: Si omnia mihi evenerunt adversa, grates tibi refero Altissime: reversus ad me ipsum, et ad cor meum regressus, et ingressus, plus gaudeo de patientia, quam mihi Dominus per sui gratiam concessit, quam si totus mundus subderetur. *MANSI, d. VII, n. 2.*

Caupo quidam civitatis Alexandriæ multis injuriis et contumeliis affecerat juvenem quemdam, Joanni Eleemosynario Patriarchæ Alexandrino sanguine conjunctum. Juvenis apud Episcopum graviter conqueritur. Episcopus fingens etiam se commoveri, ut juvenis animum mitigaret: « Itane, inquit, ausus fuisti vel verbo violare? Faciam in eo rem, quam tota Alexandria mirabitur. » Moxque vocato ad se vegetigiano Magistro, jubet, ut nihil amplius vegetigialis, aut aliquod aliud Ecclesiæ debitum ab illo caupone exigat, sed immunem illum ab omni solutione, quæ quidem ipsi, vel Ecclesiæ ejus deberetur, relinquat. Hoc videlicet ejus factum tota Alexandria mirata est; canpoque non solum a maledictis cessavit, sed omni Episcopum et juvenem cognatum officio coluit. *Suarus, in Vita, tom. I.*

Cum S. Martinus Turonensis Episcopus Dioceses vitaret, in rhedam fiscalem per aggerem publicum venientem, militantisque viris incidit. Sed ubi Martinum in veste hispida, nigro et pendulo palliolo circumtectum, contigua de latere jumenta viderunt, paululum in partem alteram pavefacta cesserunt. Deinde funibus implicatis, protensos illos, quibus misera illa animalia conglobantur, ordines miscuerunt: dumque ægre expediuntur, moram fecere proferantibus. Qua permoti injuria militantes, præcipitatis in terram saltibus se dederunt. Deinde Martinum flagris ac fustibus urgere cœperunt: cum quidem ille mutus, et incredibili patientia terga præbens cædentibus,

majorum insaniam infelicibus commoveret, ex hoc magis furentis, quod ille quasi non sentiens verbera illata contemneret, comites illico eum consecuti (aliqua enim necessitate remorati fuerunt) fædere cruentum, atque universa corporis parte laniatum, cum exanimis in terram prostravisset, invenerunt: statimque eum asello suo imposuerunt, ac locum cædis illius execrantes, raptim abire properaverunt. Interea illi regressi ad rhedam suam, furore satiati, agi, quo ire cœperant, jumenta precipiunt. Quæ cum omnia solo fixa, ac si aenea riguisset, tollentibus altius vocem magistri, flagris hinc atque inde resonantibus, nihil penitus movebantur. Consurunt deinde omnes pariter in verbera, consumit gallicas multorum pena mastigias: tota rapitur sylvæ de proximo, trabibus jumenta trudentur: sel nihil penitus sævæ manus agebant, uno eodemque loco stabant fixa simulacra. Quid agerent infelices homines, nesciebant; nec jam ultra dissimulare poterant, quin quamlibet brutis pecoribus, agnoscerent, divino numine se teneri. Tandem ergo in sese reversi, cœperunt querere, quis ille esset, quem in eodem loco paululum ante cæcidissent. Cum percunctantes cognoscunt ex vianibus Martinum a se tam crudeliter verberatum, tum vero apparere omnibus causa manifesta nec ignorare jam poterant, quin ob viri illius injurias tenerentur. Igitur omnes eum rapidis consequuntur passibus, conscii audacis facti, ac merito pudore confusi, flentes, et pulvere, quo se ipsi fodaverant, capita, atque ora conspersi, ante Martini se genua provolunt, veniam precantes, et ut eos abire sineret, postulantes: satis se vel sola conscientia dedisse penarum, satisque intellexisse quod eosdem ipsos vivos absorbere terra potuisset, vel ipsi potius, amissis sensibus, in immobile saxorum naturam rigescere deberissent, sicut affixa locis quibus steterant, jumenta vidissent: orare se, atque obsecrare, ut indulgeret scelerati veniam, et copiam præstaret abundi. Senserat enim, priusquam accurrerent, vir beatus, illos teneri, suisque comitibus id ante jam dixerat. Veruntamen clementer indulisit, eosdemque abire permisit, animalibus restitutis. *SULPRIUS, in Vita, l. II, c. IV.*

Duo senes Monachi cum uno fratre iter agente, et errantes de via, inter fata inventi

sunt, et aliqua de satis volentes nolentesque pedibus conculcaverant. Quod cum vidisset agricola, (erat enim in agro operans) cœpit contra illos multa maledicta proferre, cum iracundia dicens: Vos Monachi estis? vos Deum timetis? Si timorem Dei ante oculos vestros habuissetis, profecto hoc non fecissetis. Tunc ait unus senior sociis suis: Per Dominum, nullus ei respondeat. Conversusque ad illum dixit: Rege dixisti, fili mi. Ille rursum furens, contumeliis impetebat eos. Rursumque dixit senior ad illum: Vera prosequeris, fili; nam si veri Monachi essemus, istud non fecissemus: sed per Dominum indulge nobis, quoniam peccavimus. Stupefactus ille ad tantam senis humilitatem, accessit propius, prostravitque se ad pedes senis, dicens: Peccavi, indulge mihi, et per Dominum assume me vobiscum. Rusticus ergo secutus illos, accepit habitum. *Pratum, spir.*, c. ii.

Accidit eo tempore, ut disputatio solemniter deberet cum Hæreticis ventilari, ad quam cum Episcopus loci cum multa se pompa præpararet iturum, dixit ad eum Præco Christi: Non sic, mi Domine Pater, non sic est contra filios superbiam procedendum, humilitatis ac patientiæ, Religionis, alisque virtutum exemplis convincendi sunt veritatis adversarii, non fastu elationis, et ostentatione gloriæ secularis. Discalecati contra Goliath procedamus. Assentit Episcopus, discalecati sunt omnes; cumque de via dubitarent, obviam habuerunt Hæreticum, quem Catholicum existimabant, qui eos ad locum recto itinere, ut sponderat, non perduxit, sed ad nemus quoddam perfidus malitiose seduxit, ubi inter vepres et spinas pedes eorum vulnerati sunt, et crura sanguine respersa. Tum pugil Dei, cum omni patientia sustinens, et in jucundam Dei laudem prorumpens, ad collaudandum, et sustinendum cum patientia omnes hortatus est dicens: Confidite in Domino, charissimi, quia de cœlo vos manet triumphus, jam enim peccata vestra sanguine expiantur. Cernens malignus ille miram eorum, et lætam patientiam, optimisque sermonibus sancti compunctus, malitiam confessus, hæresim abjuravit; venientibus autem ad locum rectis corde orta est lætitia perversis vero confusio et tristitia. *MANSI., d. ix, n. 9.*

Contigit, ut quidam puerulus in schola, Fulbertus nomine, a socio suo tabula percussus ad mortem usque perductus sit. Ap-

propinquante exitu istius, vir Domini forte sopori deditus lectulo incubabat, cum ecce vidit in somnis ipsius animam a corpore sublatam angelico ministerio ad cœlum deferri, se quoque miro et ineffabili ministerio, Deo disponente, pariter comitari; cumque cœli secreta penetrasset, pueri præfatæ animam in quamdam perpetuam mansionem conspexit introduci, et inter agmina Martyrum collocari: ibique ei datum est agnovisse, quod, quia ipse puer vulnus sibi illatum satis patienter, et animam fratris usque ad mortem diligens, pro percursore suo nimium benigne interessit, patientiam et benignitatem ejus Deus divina remunerante pietate, inter Martyrum choros deputatus sit. *Id., disc. x, n. 3.*

Dominico Anadono Ord. Prædic. ad Valentini cœnobii fores excubanti de more, mendicabuli habitu pannosus lacera in veste Satanas se obtulit, ac stipem infimis precibus institit eblandiri. Anadonus et suo ingenio in pauperes facilis, et importunis precibus impulsus, quamquam consuetæ liberalitatis hora jam abierat, jusculi patientiam tamen dedit. Hic vero proprius bonorum hostis, patinam ipsam in os benefici senis adeo violenter est jaculatus, ut annis ac laboribus imbecillum humi affligeret quidem, sed tamen victoriam, quam ea petebat injuria, non reportaret; nam Anadoni patientia contumeliam dissimulantis, superbissimam belluam in fugam egit. Beate cum religiosis domibus ageretur, si ea præforibus virtus pervigil excubaret. *RhoL., VI, m, n. 3.*

Bellovacensis de S. Antonio refert, quod, cum dæmones verberasset B. Antonium usque ad mortem, et ipse immobilis perseveraret in bono proposito suo, Deum invocans, lux emissa a Deo dæmones fugavit, Antonium sanavit, Jesum Christum sibi assistentem ei demonstravit. Cui Antonius: « Ubi eras, bone Jesu, cum dæmones ita male me tractarent? » Ego, ait Deus, eram juxta te, cernens, et « gaudens de victoria patientiæ tuæ: juxta est enim Deus his qui tribulatio sunt corde. » *MANSI., d. XLII, n. 7.*

NECESSITAS. — Frater quidam erat in Congregatione ne inquietus et frequenter movebatur ad iram. Dicit ergo in semetipso: Vado, et solus alibi habitabo, et cum non habeam, in quo dicam, vel audiam, ero quietus, et quiescet a me passio iræ. Egre diens ergo manebat in spelunca solus. Una

autem die implens sibi surisculam aquæ, posuit illam in terra. Contigit autem, ut subito versaretur, ille vero implevit secundo, et iterum versata est, deinde tertio implens posuit eam, et rursum versata est, qui commotus furore, tenuit vasculum illud, et fregit. In se autem iracundiæ sit illus, et dixit: « Ecce ego, et solus sum, et vicit me: » Revertar ergo in Congregationem, quia ubique labore et patientia opus est. *Vit. PP., l. V, libell. vii, n. 33.*

DIGNITAS. — S. Antoninus factum quoddam mirabile refert feminae cujusdam magni spiritus, bona nomine, quæ penitens S. Dominici existens in turri quadam juxta portam S. Joannis Lateranensis solitaria agebat: cum enim hæc per infirmitatem quamdam a Deo visitata fuisset, quæ totum pectus in continuum quasi vulnus redegerat, indeque scaturirent vermes, eosdem tanto cum cordis júbilo excipiebat, adeoque charos et gratos habebat, ut si fortuito aliquis horum vermium in terra cecidisset, ipsa subito magna cum diligentia illum recolligere, et in vulnus pectoris cum aliis reponere solita fuerit. Accidit autem, quod cum ad illam accedens S. Dominicus vermes illos videret, unum ex illis sibi donari magna cum instantia petierit; at vero postquam id sæpius denegasset, tandem repetitis instantiis superata, unum ex vermibus ei consignavit cum hoc tamen pacto, ut mox sibi restitueret, quem cum S. Dominicus vix manibus attingisset, in lapidem pretiosum conversum vidit; cumque sancti viri comites eum multa cum efficacia obtestarentur, ne illum ei restitueret, eamque ob causam V. Bona amare plangens, promissionis adimpletionem exigeret, tandem gemma illa præfatæ mulieri restituta, in speciem vermīs denuo rediit, sicut prius fuerat. *S. ANTONINUS, in III, p. Chr., tit. XXIII, c. iv.*

Senex quidam habens probatum discipulum, quem aliquando contristatus expulit foras, ille vero discipulus expectabat sedens foris, et aperiens senex invenit eum, et penitentiam egit senex apud eum dicens: Tu pater meus es, quia humilitas et patientia tua vicit pusillanimitatem animi mei. Veni intus, amodo enim tu senex et pater, ego autem invenis et discipulus, quoniam opere tuo superasti meam senectutem. *Vit. PP., l. V, libell. xvi, n. 15.*

Quidam Martyr sub Juliano Apostata, toto corpore lacerato, ubi aliquam corporis partem illesam spectavit, carnicem ut contumeliosos accusavit, nec totum corpus decoriantes, hortans ut ne illi quidem parcerent. *S. NAT., Orat. in Jul.*

S. Secunda, cum Ruffina soror virginis cæderetur, et non ipsa, ad judicem dixit: Cur sororem meam honore, me ignominia afflicis? *In Vit.*

Cum S. Gertrudis peteret a Deo, cui rei intendere debaret respondit Dominus: Volo ut addiscas patientiam. Cumque illa iterum peteret, quomodo eam addiscere deberet, sequentia tria ei proposuit, quæ deberent ad patientiam animare. 1. Perpende, quanta familiaritate notetur a Rege, qui sibi in omnibus præ aliis maxime assimilatur. Et inde æstima, quantum affectus meus crescat erga te ex eo, quod propter similem mihi contumeliam pateris. 2. Perpende, quid familiarissimus Regis, et in omnibus sibi similimus, reverentiam obtineat a familia; et inde æstima, quid tibi gloriæ in cœlis pro patientia præparetur. 3. Considera, quid amico conferat solatii, fidelissimi amici blandiens compassio; et inde æstima, quam suavissima blanditate ego ipse te sim leniturus in cœlo pro minimis etiam cogitationibus, quæ te hic gravant. Alias eidem dixit: Singula detrahentium verba sume tibi loco virtutum, quibus exornata pervenias ad me, et ego compassiva pietate mea compulsus benigne suscipiam te. Et quanto plus conversatio tua sine culpa reprobat, eo amplius cor meum amatoria blanditate tibi condescendit; quia per hoc sufficienter mihi simillima, qui in operibus meis semper habui perversiores. *L. III, Infn., c. xxx.*

B. Baptistæ Veronæ dixit Christus: Recordare, magis me tibi ostendisse signum amoris, dum te afflixit, quam dum te tenebam arcte in dulcissimis brachiis meis. Magnum beneficium est, non peccare: majus, posse facere bene: maximum est in superlativo gradu, pati malum. *LANCIZ., Opusc., ix, c. viii, n. 265.*

B. Angela de Fulgino dixit: Scio, filiioli mei, quod nobilitas et valor, qui exit de tribulatione, non est nobis cognitus, alioquin enim esset de ea magna rapina, et quilibet raperet ab alio, de quo tribulari posset. *Vit., c. xx.*

S. Henrico Susoni quidam juvenis a Deo

missus ocreas, scutum, et hastam offerrebat, dicens; Noveris, hæcenus te inter pedites meruisse, modo vero ad Equestrem Ordinem vocari; prius enim, ut laibuit, te castigasti, nunc flagello iniquæ linguæ cæderis: hæcenus uberibus Christi lactatus, tunc felle potaberis, hæcenus hominibus gratus eras, licet tibi inimicus, nunc homines contra te calcaneum levabunt. Cumque hæc postridie a Sacrificio Missæ secum tacitus ruminaret, jubetur per fenestras prospicere; paret, et videt canem per aream cœnobii lacrum panni segmentum ore spu-meo raptantem, et lacerantem. Tum vox eadem cœlitus missa ei prædixit, fore, ut deinceps instar illius sordidi panniculi aliorum dentibus lacretur. Assensus est statim Suso, et mox e cubiculo descendit, et segmentum illud velut crucis suæ tesseram tulit, ac diu secum servavit. Et initio quidem præ infirmitate humana titubare visus est; verum die purificatæ Virgini sacro propter Christum Infantem edoctus, non tantum ferendam crucem fortiter, sed aliam atque aliam expectandam esse didicit. Persistit ergo, et deinceps inter mille cruces constans perseveravit. LYREUS, l. I, *Apo-ph.*, III.

EXEMPLA DOMINICA.

QUALITAS. — S. Ignatius tanti æstimabat persecutiones et vincula, quibus pro Christo fuerat vexatus, atque constrictus, eoque numero ponebat, ut aperte diceret, si, quæ a Deo creata sunt, omnia altera in parte statera collocarentur, in altera carcer, catena, probra, vix illa omnia præ istis momentum ullum habitura apud se; neque vero creatam ullam naturam posse talem in animo lætitiæ creare, quæ æquare, possit gaudium illud spiritus, et purissimum alacritatem, quam eorum mentibus infundit Dominus, qui multa pro illius amore, magnaque perfulerunt. *Vit.*, l. V, c. x.

S. Franciscus Xaverius tantum habebat pro Christo patienti desiderium, ut, sicut abundabat: « Satis est, satis est: ita in adversis non minori contentione: « Amplius, amplius, » clamaret. Sed et illud frequenter repeteret: Domine, ne auferas a me hanc crucem, nisi des majorem. Hinc dicere so-

lebat, videri sibi nostros nequaquam fideliter militare, si diu nullis tentationibus exercerentur. NADASI, *Anno Crucif. hebd.* xxxv.

P. Andreas Oviedus prope Coloniam a latronibus viatico et vestibus spoliatus, convitiis etiam, et quinque vulneribus affectus, semivivus relictus est. Coloniam nihilominus debilitata membra trahens ad Fabrum pervenit, ore lætus, animoque jucundus, quod totidem et ipse suo corpore plagas quot Christus, obedientiæ causa excepisset. *Hist. Soc.* p. I, l. IV, n. 36.

P. Joannes Nunnius cum Socio Pitnani in Africa a Saracenis spuis, lapidibus, verberibus crebro petitus, tanta patientia omnia excepit, ut vel ipsi Ethnici admirationem raperentur. *Hist. Soc.*, l. X, n. 118.

In Brassilia vivebant nostrorum viginti in domuncula luto et lignis contexta, paleis cooperta, quatuordecim passus longa, decem lata. Ibi schola, valetudinarium, dormitorium, culina, cœnaculum erat. Vivebant tamen lætissimi. *Id.*, l. XIV, n. 415.

Brunæ cum Novitii ad Catechismum irent, ab Hæreticis gravissima quæque sunt passi. Minus erat contumeliis, probris, injuriis affici. Sæpe impudicas protervasque mulierculas ad itinera intercipiendi submiserunt, sæpe ipsis sclopeta ad latera, mucrones strictos ad pectora admoverunt; lapidibus petere, commune erat. Vincere tamen licet veterani milites, tyrones non potuerunt. *Id.*, l. XV, n. 94.

P. Antonius Monsarrate, et P. Petrus Paes, cum Æthiopiæ navigarent, a Turcis capti septem annis in catenis hæserunt, tanta cum suavitate, ut sæpe alter alterius compedes oscularentur. *Lit. Æth.*

P. Baltassar Alvarez in tribulationibus animabat seipsum, et dicebat: Erras si cogitas, te integrum, et non bene contusum perventurum ad cœlum. Cœlorum enim regnum est regnum detruncatorum, tentatorum, afflictorum, contempturum, et qui has et similes ærumnas experti sunt. Quomodo igitur auderes inter tot celebres ac decantatos Duces ac Capitaneos comparare adeo timidus? Ut si Deus causam et litem tuam tibi ipsam decidendam committeret, eam contra teipsum decideres. Alias dicebat, arboris sanctæ crucis nec folium permittere nos debere in terram decidere. *Vit.*, c. xl.

Hieronymus Platus, cui luculento opere religiosi status bona complexus, effecti, ut sua si bona nosse velint viri religiosi, felicitate esse liceat. Eodem ingenio, atque eruditione, de perfectione Christiani Officii libros plures elaboraverat, jamque ad umbilicum perductos, ac typis paratos habebat, non sine magna eorum, qui viderant, approbatione, quum tyronis unius incogitantia perierunt; jusserat Hieronymus chartas, quas in mensa offensus, concerpere, atque auferre: ille obedientiæ properus, ac parum attentus, ut ea ætas solet, libros in eadem forte mensa jaentas invadit, ac temere conceptos, fœdus etiam dispergit. Quam gravi petitione Hieronymi animum ea percussit factura, non est, opinor, interrogandum: sed nihilominus suæ mentis fuit, vocis ac vultus, ut etiam rendens examinati adolescentis pudorem timoremque discusserit. Quam profunde de virtutibus, illis chartis disputaret, uno loco palam factum est experimento. *Rao*, l. VI, c. III, n. 12.

Franciscus Lupius ter in exilium actus, inter feras, et (quod dirius est) inter latrones subterraneo in specu vitam traduxit: qui ab hostibus captus, infinita, et cruenta in gladiatorum licentia duram servivit servitutem: qui corpus ipse suum flagello, ac ciliciis excruciatum in spectri formam extenuavit: qui vitam cibo propemodum nullo sustentabat: qui inter acerbissimos Romanæ fidei hostes vitam ærumnosissimam ita transegit, ut, quibus mortalitas potest exerceri omnibus ærumnarum modis toleratis, moreretur demum nudus, omnique solatio humano destitutus, quippe cui ad pauciores abeundi, præter cadaver, ac triti cordi frustulum, superfuit nihil. O præclaram ad nos devolutam patientiæ hæreditatem! dignam profecto, cui audeat, oceani sævitiam, ac barbarorum immanitatem, (quod et strenuissime factum est) socii experiantur. *Id.*, n. 19.

Qui primi de Societate Brassiliam sunt ingressi, feracissimum dulcium arundinum regionem, tot sunt ærumnis excepti, ut, quibus non decorum modo, verum etiam dulce pro Jesu Christo est pati, invidiam movent. Hi viginti numero quum essent, casulam e luto, ac levi palea a se ipsis constructam, quatuordecim in longum, decem in latum pedibus incoluerunt: hi vestem ex navalium velorum frustis, quæ natuæ

donabant, atramento utrumque infectis; sibi met ipsi suebant; hi ligneam Mandiocæ farinam, et oluscula, in esculenta, in potum decoctam ex milio frigidam habuere. Hi cæsa in sylvis, atque humeris, quantum conliti poterant, convecta materia templum construxerunt, cui quantum defuit elegantie, tantum superfuit pietatis. Et hæc illis veluti domi nasebantur decora, quæ quamquam ad patientiæ laudem amplissima essent, nullis tamen partibus cum iis, quæ pro animarum salute peregrinantibus obveniebant, posset comparari. Hujusmodi enim olim fere, ut etiam nunc alicubi sunt, eæ peregrinationes, ut qui eas ingrediuntur, triumphalia mereri posse credam. Itur ad dissilos, et silvestres barbaros per alia memora, feris atque serpentibus infesta, et ab orbe condito mortalibus inaccessa. Itur autem? erravi, etenim securibus cæduntur antiquissime sylvæ ab ævo intactæ, atque in transversum enatis truncis, aut casu, atque ætate procombentibus implicatissimæ; quumque vix post ferrum pateat aditus, nivibus sæpæ glaciæ, aut ineluctabili camporum ac paludum uligine excipiuntur, Itaque non semel factum est, ut integro anno labore maximo itineris rationem sideribus metientes quum apertæ silvestris viæ passuum millia 300, perfectissenti socii, omni rerum necessitate vexati, tum demum sparsos in montibus barbaros indispicerentur, ipsis, quas in silvis evaserant, feris immaniores. Ad hæc, quicumque militiæ nomen dedimus, erudiri fas est; patriam enim dubio procul sic peregrinantes obtinebimus. *Id.*, n. 12.

Henricus Henriquez aiebat, neminem sibi videri Religiosum, qui non aliquid lucri quotidie in patientiæ rationes referat. Ille olim, qui nihil dederat, diem sibi perisse dixit, et gentium plausu beneficia hominum generi excepta vox est. Iste diem se perdisse credebat, in quo nihil tulisset adversi; nam quia contraria celi terrarumque est disciplina, quæ nobis hic dextera sunt, illic sinistra accidunt, et cum intonit lævum, sospitatur. *Id.*, n. 23.

Leo Henricus ibat longissima in supplicatione prior homini parum attento, qui, ut erat corpore procerus, elatum supra Henrici pusilli, et calvi hominis vertice, funale cereum præferrebat, ex quo perpetuum ferventis cereæ in ejus caput stillicidium caderet, quod septem ipsas horas, quot nimi-

rum ea duravit supplicatio, patientissime dissimulavit Henricus, domumque reversus, haecenus quæstus est, ut diceret per jocum: Enim vero me, ut mancipium, egregie ceceo mactasti stillicidio. Qui hujus patientiæ magnitudinem voluerit æstimare; is aliquot stillis experiatur; vereor, ne ad illas tota defluat patientia. *Ibid.*, 36.

QUALITAS PATIENTIE IN MORBIS. — Ignatium, quem natura præferocis, ardentisque ingenii formaverat, longa virtutum exercitatio contrarium in habitum reformavit; nam patientiæ, indolentiæque quotidiana edens documenta, lentioris genii fidem medici propemodum fecerat. *Rno.* l. VI, c. III, *Nostra.* n. 1. Et paulo post scribit idem: Crebris Ignatii virtus exercita est valetudinibus, ne quid in illo ad perfectum virtutis magisterium posset requiri Constans enim semper, et tranquilla homini patientia fuit, non modo morbis, sed improbis curantibus inexpugnabilis: quod difficilior esse arbitror, quasi, qui morbos aut Dei jussu, aut naturæ labe, aut proprio errore contractos modeste ferunt, hominum aut ignorantia, aut improbitati legitime irascantur. Adolescente medico utebatur socii parum docto, nec multum attento: hic interno calore languenti Ignatio, adeo calida omnia medicamenta adhibuit, ut exiguo ac generosissimo mero ad potum dato hepar incenderet, corruptaque stomachi temperie dire cruciaret, multaue injecta veste ad continentium calorem, haud dubie enecaret. Quo in periculo Ignatius, quamquam inscitiam adolescentis sentiret, sequæ ea curatione periclitari videret, nullum tamen verbum ea de re fecit, nec minimum quæstus est, præclarum sibi patientiæ segetem oblatam tacite secum gaudens. Verum frementibus domesticis, atque indignantibus, unius nec optimi medici negligentia communem parentem perdi, Alexander Petronius evocatur, qui vociferans, hominem calidis fomentis suffocari, data affatim frigida, aper-toque auræ cubiculo, quum salutem reddidisset, interrogare ausus, inepta imperia, atque in non dubium perniciem urgentia, exequi cur sustinisset, nobilem illum, et patientiæ tuendæ ab obedientia commodatum laconismum elicit: Obediendum est, nec in ea causa verbum amplius addidit Ignatius. *Lb.*, c. IV, n. 1.

S. Franciscus Borgia dolores morborum non tantum constanter ferebat, sed etiam

augere studebat, quo meriti uberior seges colligeretur. Hinc pharmaca ægrotaans, quamvis amara, sorbendo hauriebat, ut amaritie diutius cruciaretur. Catapotia quoque dentibus eandem de causa mandere solitus, ut qui ministri voluptatis olim fuerant, iidem poena torquerentur. Causam aliquando rogatus modeste respondit: « Belluam istam (id est, corpus) plorare jubeo, ut, quam deliciis voluptatem cepit palatum, eandem abstinendo amittat, expielque. Meminerim et ego, Christum Salvatoretem fel in cruce gustasse. *Viz.* l. IV, c. v, n. 3.

P. Joannes de la Placa tot tantisque morbis excruciebatur ultimis annis, ut dicerent Patres, Deum voluisse alterum Job Societati dare. Præter alios morbos postremis sexdecim annis chiragra gravissime laborabat, ultimis vero tribus annis tantum in tergo supinus jacere cogebatur, quæ omnia ille invicto ferebat animo, ut nihil unquam dari sibi permississet, ferens insuper Socii sui quotidianos in morbo tanto errores circa se patientissime. Inter summos dolores mentem ad Deum elevabat dicens: « Tu, Domine, verberaingere, ego miserere percurram. Aiebat, plus alicui in morbis mereri, quam cum sponte mortificationem aliquam quis suscipit, ob propriam ibi voluntatem, et periculum inanis gloriæ. » Rogatus in tantis doloribus, num mori tandem cuperet, respondit, « se cupere quidem Deum videre, sed a dolorum impatientia tantum abesse, ut majores cuperet. » *Annus Prov. Meaic.*

Cæsar de Novellis Novitius cum hepar frustratim excrearet, inter summos tamen dolores subridebat. Causam rogatus hujus risus, subrideo, ait, et quia me pati gaudeo, et quia spem habeo cœlestis patriæ, et quia dæmon hilaritate torquetur. *An. Prov. Neap. nov. 1605.*

P. Jacobus Laynes usque adeo non frangebatur morborum vehementia, ut etiam mortis vicinus se ad suggestum concionandi gratia ferri juberet, affirmans, Christi militem in vita otium ignaviamque pestes animorum fugere, pugnantem vero et armatum occumbere debere. *Viz.*, c. XII, 16.

P. Ludovicus de Ponte cum feria sexta vehementius exarsisset in cupiditate experiendi dolores Christi, articulari morbo, qui per totam vitam eum non deseruit, correptus, tam serena ac læta fronte eum excepit, ut intentiores semper optaret. Unde quæ-

renti, quomodo valeret, ipsemet morbum suum descripsit dicens: « O mi Pater, quomodo Deus hunc peccatorem castigat; præter, caput, nullum habeo membrum expers mali proprii. Nam oculi sunt quasi tela obducti, dentes mihi dolent, sive calido, sive frigido utar potu ac cibo, dolent maxillæ, stomachus lien et latus, e quo movere me non audeo, ne respiratio mihi difficillima fiat: humores adhuc minus: jecur et renes exurnunt me, humeri stringuntur arctissime, manus ac pedes ardens gutta insedit. Deo sint laudes. » Fecit autem votum, nulli alteri votem manifestandi suos dolores, nisi quem celare fas non esset. Nihil admisit, quod dolores et mala levaret, ne domesticorum quidem alloquia. Plures errores ministrantium æquissimo tulit animo, multos eorum labores excusando, et quantum posset, imminuendo. Nec delectamenta ab amicis sibi missa accepit, nec commiseratione aliorum delectatus est. Lectus etsi ob carnis defectum et cruciatus non leves causabat, ipsi tamen pro roseo et florido lecto fuit. Imo nec oleum ex lampades S. Ignatii oblatum aliter accepit, nisi cum aperta protestatione, quod nolit sanari, nisi majoris id gloriæ fuerit Domino nostro. *Viz.* l. II, c. IV, § 2 et 3.

P. Leonardus Lessius totos quadraginta quinque annos nunquam sine dolore fuit, et ita quidem, ut semper posterior prioræ fuerit deterior. Ex lue, quam in diversorio contraxerat, maculosa scabies usque adeo affecit certas partes, ut inde molestissima impetigo utramque tibiam assiduo pruritu, ceu edaci morsu corroserit. Inde etiam natus stomachi langnor, frigus, pituita, intestinorum tormina, ventorum ex ore flatus, prædura alvus, colicæ aculeus, hepatis vicinarumque partium afflictio; ad hæc hernia utrinque hinc pugni, inde pilæ magnitudine extuberans. Proximo ante mortem quadriennio duo calculi, ovo gallinæo pares, nullo ante indicio cogniti, quasi cælo lapsi, vesicam cruentarunt, et exulcerarunt usque adeo, ut omnia mala præterita huic composita lusus viderentur. Et tamen eadem mala simul cum hoc eodem plerumque tempore sæviebant, ita ut bonus Pater subinde queritans exclamaret: Omnia excelsa tua et fluctus tui super me transierunt, Domine, Solemne illi erat sexagesies quotidie a binis illis lapidibus, interdum etiam centies cruciari. Quibus tamen in cruciatibus om-

nibus laudabat Deum, gratias agebat, gaudebat, amplius petebat. *Viz.* c. XVIII.

P. Theodorus Ottonius Rector Collegii Luxemburgensis, asthmate, podagra, calculo, vertigine, chiragra afflictus, ne minimum quidem unquam impatientiæ signum dedit. *Annus prov. belg.*, 1608.

P. Ambrosius Gerardus totus fere ulcus evaserat, ex quo vermes maxima copia scaturiebant, maximo cum illius dolore; numquam tamen impatiens visus est, quin ipse visitantes tranquillissimo vultu solabatur. Mortuus tandem in julio cum summus æstus est, nullum de se fetorem emisit, sed suavissime olere cepit. *Pr. Neap. Coll. Nol.*, 1615.

P. Joannes Buseus in gravissimis calculi doloribus etiam religiose jocari consueverat. *Menlog. Ann. Belg., coll. Lev.* 1610.

P. Joannes Thenensis Coadjutor cum ob enormia ulcera omnis ei corpulentia vivo videntique diffuisset, crebroque semimortuæ carnes reseccarentur, inter acerbissimos dolores semper sibi constans, rosarium percurrerebat, ac dicebat: Nunc demum sentio, quam suave sit pati.

Gulielmum Fauchellum adolescentem logica præceptis operam dantem invasit, et plures per annos exercuit dira valendo, quæ medicis ignora, nullo ab his nomine insignita est: concutiebatur violentissime totis artibus, et manus bis terque validissime complodebat, tunc pectus pugnis, quanta poterat, vi incussis plangebat, totumque se ita evibrabat, atque veluti tormento excusso ejaculabatur, ut binos ei perpetuo adesse, ac manibus exceptum, ne ad solum affligeretur impetu ipso, sequi necesse esset: ibi in lectulum erat repositus, ingenti cum suspirio animam trahebat. Hoc illi prope continuum erat: subinde vero contractus in globum, informem in modum ita torquebatur, ut vel ad volantes, insidentesque muscæ accerrimum ipso levissimo attacko dolorem afferrent. Accessit castaneæ instar, sed magis exasperatus acuminibus calculi, quo renes continenter confingerentur, quem facto corpore videntes inhorruerunt medici, dolorum immanitatem conjectantes. At nulla fuit tanta atrocitas, quæ adolescentem patientiam vinceret, animo semper supra valetudinis mala eminente, ac sibi præclare constante, sequæ omni virtutum cultu diligentissime exercente. *Rnoc.*, c. IV, n. 3, *ex nostr.*

Immensis angoribus æstuare Stephanum Tuccium fuit necesse, cui enormis in cervice tumor (nattam vocant) continuo actu excrevissens, lentissima in morte ad extremum, compressis faucibus, spiritum interclusit. Nulla illi quies, nisi corpore genibus excepto, et in lectuli spondam acclinato; demum, quum nihil per angusta faucium, sine præsentis suffocatione, transmitteret, pingui assæ, ac fumantis adhuc e furno panis odore, vitam ultimis diebus, omnibus tactam doloribus, ægerime traxit. Hic diuturna maximarum virtutum exercitatione calidus, patientiam, pacemque animi nulla hostili turbata impressione retinuit, atque amicis subinde rogantibus, qui tantam dolorum ferret acerbitatem, cum vix spiritum angustissime meantem posset in verba formare; libenter, libenter respondebat, et magnitudinem animi morbi immanitate majorem, vultu oculisque præferabat.

QUALITAS. — a Patientia in injuriis. S. Ignatius dum loca sacra visitans a Saraceno qua injuriis, qua minis pessime tractatur, Christi a Judæis contempti exemplo proposito, summa cum patientia ac alacritate id tulit. Peregrinabatur per avia Lainio socio, quum accurrens vicino a grege adolescentulus, sive novo advenarum habitu, sive qua alia causa effusus in cachinnos irridebat: substitit Ignatius, seque prociac puero affatim irridendum præbuit Lainium, qui ut gradum faceret monebat, docens non esse puero eam subtrahendam voluptatem. Habibat Romæ modico in cubiculo, ex quo in vicini atrium erat despectus; id non ferens homo inurbanus, ut Ignatio ægre faceret, gallinas, anseres, pavones in eam veluti cavernam conjecit, quorum irrequieto cantu, atque clangore commentanti atque meditantis obstreperet. Hanc molestiam non jurgio, mutisque clamoribus, sed perpetuo silentio ita demum viciat Ignatius, ut in scola patientiæ, quam silentii matrem dixere sapientes, prodiisse nemo dubitaret. *Vit.* l. I, c. 1, et *Hist. soc.*, l. I, n. 39. *Rho.*, l. vi, c. iii.

Leo Henricus Novitius ædem sacram ingressus, cum plenam tumultu, et immodestia reperisset, cathedram ascendit, et super verbis illis: Domus mea, domus orationis est: acriter, intonuit. Movit ea res populum, et unum præcipue, qui, cum frustra Leoni silentium mandasset, tandem colaphum etiam concionanti impexit. Quo

accepto Leo Deo gratias agens, et ad percussoris genua provolutus, manum, qua eum percussisset, ad osculum petiit. *Nostr.*, t. I, *Hist. soc.*, p. I, l. VI, n. 96.

Joannes Fernandus cum Amanguzi verba ad populum faceret, et Japon prægrandem salivam in os illius expuisset, nihil tali injuria commotus, sed strophiole extracto solivam abslergens, concionari perrexit, effectique, ut tam præclaro patientiæ exemplo quidam permotus Christianam fidem susceperet. *Ibid.*, l. XI, n. 104.

P. Ferdinandus Crendelius verus per omnia Societatis filius, si quando verbo eum quis læsisset, altero die sacrum pro illo offerbat. *JAC. CANIS.*, in *Vit.*

P. Paschasius Proetus Lutetiæ juxta messores transiens, cum ab iisdem ut simulator illuderetur, alisque convitiis appetere, baculo innixus tamdiu substitit, donec illi pudore victi cessarunt; tum erigens se, suavissimeque illos intuitus, Deus, ait benigne vobis faciat, filii, et benedicat, simulque crucis signo facto benedixit. Permoti illi viri sanctitate, atque ad genua accedentes, se convitiatores, illum sanctum prædicabant. *Hist. soc.*, p. II, l. VI, n. 93.

P. Baltassar Alvarez cum in congregatione provinciali grave aliquid, licet falso dictum de eo fuisset, ideoque graviter ibi in publico confesso reprehenderetur, nec publice, nec privatim se defendit, et ob id tam heroicum silentium magnos a Deo favores est consecutus. *Vit.*, c. XL, § 4. Alias cum in Hispania et Romæ graviter fuisset infamatus, et quidam hoc ei retulisset, subrisit editis singularis lætitiæ signis. Cujus rei causam quæsitus respondit: Quia nunc video, Deum mihi bene velle, quoniam per amicorum suorum viam me deducit; nam diu sollicitus fui, quod videretur mei Dominus oblitus. *Ibid.*, § 2.

Claudius Aquaviva in media Urbe, plusquam Japoniam invenit, ut se patientiæ alunum comprobaret. Juraverat homo furiosus, atque iræ dementissimæ, quem primum posset, Jesuitam se fuste delolaturum egregie; quam essent iniquæ causæ, quamquam ego satis novi, rei quam agimus, parum interest. Ibat ergo Claudius sub meridiem cum socio oculis humi dejectis, totoque corporis habitu ad modestiam compositus, quum in eum involat importunus, et fustuario cædere aggreditur. Dum se inde Claudius proripere tentat, ortus præte-

reuntium clamor domesticos Aquavivii Cardinalis e vicina exiitavit, qui prope accurrens, ut, quod ageretur, viderent, strictis illico gladiis in sceleratum invasorem irruerant, de illata Cardinalis patruo tam luculenta injuria vindictam reposcentes. Verum Claudius quiescere jussit, hominemque dimittere, ipse atrocem contumeliam, quasi ad alium spectaret, silentio, atque dissimulatione transmisit. *Rno.* l. VI, c. iii, n. 4.

Simillima in Ægidio Gonzalio est laus; offeraverat in ultimam rabiem adversa alea hominem de vulgi facie nescio quem. Is a ludo amenti similis digrediens, Gonzalo homini gravissimo, ac tum totius Ordinis assistenti, qui primus furenti occurrit, colaphum insolentissime infregit, quod Ægidius, Christianæ memor disciplinæ, adeo dissimulanter habuit, tamque composito gradu, quo cæperat, ire perrexit, comes ut dubitaret, vere ne depalmatus fuisset, an ipse falsus videndo. Verum clare id intellectum est, quum altera die, domum nostram jam sibi redditus percussor venit, crebroque gemitu, ac singultu expiatus est. *Ib.*, n. 5.

Jacobus Miro, quem rerum gestarum nobilitas Indicæ Xaverii famæ in Lusitania exequabat, aliam Evangelicæ ultionis viam ingressus est; interfuerat Miro concioni, ad quam qui dicebat, nec bonus civis, nec bonus orator, contumeliarum plaustra, mirum, quam ingenti stomacho in Societatem effunderat; luculentior erat injuria, quam ut dissimulari posset. Nec distulit vindictam Miro; descendenti e suggestu obviam factus, totus ad modestiam compositus, manum ad oscula sibi dari rogat; quod cum ille facere sustinisset, magna cum reverentia, et quodam animi sensu dimississime osculatur. Meruit egregia virtus spectantis concionis plausum, quid lacrymæ fuerunt, quibus si quid importune dictis nostro nomini maculæ adhesionem, id totum potuit abstergi. Id quod alibi sic relatum lego: P. Jacobus Miro cum in Lusitania concioni interesset, in qua tota Societas mire exagitantur, aliis indignitate rei permotis abeuntibus, ad finem usque substitit, et ubi Concionator de cathedra descendit, manum illius accipiens demisse osculatus est. *Hist. soc.*, p. I, l. XII, n. 65.

Nicolaus Arreja, gravissimis calumniis, inimicorum arte, longe lateque Mexicana regione vulgo vexatus, tanta egit patientia, ut rem totam Deo committeret, et tempesta-

tis violentissimæ finem, domestico tranquillæ conscientie, in porta, nihil expostulans, nihil quaerens, neminique succensens, securus expectaret. Juvat sapius non timere, nam plerumque quamvis magno se murmure cælum misceat, sine fulmine detonuit. *Rno.*, l. VI, c. iii, n. 40.

Eadem patientia Baltassar Alvarez calumnias noverat refutare; moverant quosdam eximia, quæ ad divina contemplanda, dona accepisse ferebatur, et ea erant tunc in Hispania tempora, ut olesantibus se per inscitissimam superbiam novæ illuminatorum sectæ magistris, extraordinaria hæc munera non immerito viderentur formidolosa. Itaque cum suspicionibus haud dubie audiebantur calumniæ, ac viri fama undique carpebatur. Ad hæc in Patrum Conventu Provinciali accusatus, parem se virtutum quod profitebatur, ostendit magisterio. Nam et accusationem, amici usque consilio, silentio dissimulatam disjecit, et interiorum animi rationem libello comprehensam ad eos, quibus jus erat inquirere, ita transmisit, ut omnia patientiæ libra expensa videri possent, de re agens, nemine ne leviter quidem læso. Quas ipsa virtus falsitatis arguit calumnias, oblationesque patienter ferre, magnum esse non equidem negaverim! At ubi virtus ipsa læditur, longe difficilior vincimus; nam virtutem nobis detrahi, quam vitia affingi, impotentius dolemus; quia facilis est extra vitia vivere, quam cum virtutibus. *Ib.*, n. 41.

UTILITAS. — S. Ignatius cuidam adversa ægre ferenti dicebat: Si Deus te faciat multa pati, est signum, quod velit te facere magnum Sanctum. Si vero tu cupias fieri magnus Sanctus, roga eum, ut magnam tibi patientiam materiam donet; neque enim lignum aptius est excitando foco amoris Dei, quam lignum S. Crucis, quo usus est Christus ad Sacrificium charitatis immensæ. *BART.*, l. IV, *Vit. S. Ign.* Alias interrogatus, quæ omnium expeditissima via esset ad perfectionem, respondit: «Qua Christi causa adversis delectamur. Et stude tu, hanc ab eo gratiam inire, quam ubi acciperis, non sane solam habebis, sed multis aliis comitamam.» *Lyr.*, l. I, *Ap.* 3.

P. Petrus Faber magis alienis angoribus angebatur, et dolentibus condolebat, quod bonum sui mali pauci perderent, nec calamitatem sentirent a Deo esse injectam boni sui causa. Totam autem lugentium

fraudem atque metum in eo solo versari, quod Christi sortem reformidant ac pavent, veriti, ne statum illum, quem illi sortitus est in cruce sortiantur et ipsi, aut certe ne latronis boni, aut beate Dei parentis, aut S. Joannis Evangelistæ similes fiant. Verumtamen quæ est cæcitas mortalium, illud potissimum vitari omnibus modis, ne quando ad statum redigantur similem, ad quem Christus in cruce redactus est. *Vit.*, l. II, c. xvi.

P. Balthassar Alvarez dicere solebat : « Quando Deus alicui oculos aperit ad discernendum, quantum bonum in ipso habeat, aperit etiam, ut eodem lumine videat, quantum valeant, et æstimari debeant omnia penalia et adversa, et agnoscat ea esse instar velocium postarum, quibus ingenia, quæ inter animas, et ipsam interjacent, spatia velocissime percurrunt, et eum, qui dicat, esse impedimentum, ac progressum retardare, injuria afficere divinam potentiam. Si quis enim proficere cupit, eique placere, quoniam merito eum debet plus quam seipsum amare, merito etiam occasiones amabit, in quibus ei placere possit. Quæ occasiones cum sint eventus illi, quos cæcus mundus infelicitates, infortunia, et onera appellat, et ipse talia non judicabit, sed Dei studia, favores in se reputabit, et quidem eo majores, quo graviores illi erunt. » *Vit.*, s. xv. Alias se hoc discursu ad patientiam animabat : « Si cupidus sumpsum in sua vinea colenda multas pecunias et tempus expendisset, et post magna indicia copiosi fructus, videret eam grandine confringi ac destrui, quid is animo sentiret? Quod si grandines illæ aureæ essent, quantam acciperet consolationem, multo siquidem magis esset illi luerum, quam jacura vineæ. Aurei sunt lapides, valdeque pretiosi contemptus; vehementer locupletant eos, qui noverunt esse patientes. » *Vit.*, c. XL, § 4.

P. Cosmus Stella in Collegio Mediolanensi Professor Theologiæ raræ virtutis, rogatus in agone, ut diceret aliquid quod prodesset, et præcipue quam judicaret compendiarium viam ad perfectionem, collectis animi corporisque viribus, via crucis inquit, via mortificationis, via Institutii Societatis : et cum hæc dixisset, quievit. *Anno* 1588.

JUCUNDITAS. — S. Ignatius dicebat, univsum mel orbis tantam non habere dul-

cedinem, quanta habeat Domini Jesu fel, et acetum. *Lvæus*, l. I, *Apoph.*

P. Joannes Baptista de Machado tres sibi dies in vita jucundissimos fluxisse assererat, quo receptus est in Societatem, quo captus pro fide, quo denique moreretur pro eadem. Ad hunc præcedentem titulum spectare etiam possunt pleraque exempla præserte § narrata. *Menolog.*

PATIENTIA IN MARTYRIO. — P. Carolus Spinola, quatuor annos in carcere Omurano magnas miseras, famem, frigus et alia passus, tandem columnæ alligatus magno spiritu concionem habuit, ad concionem spectatorum plusquam triginta millium, et magna cum lætitia psalmos cantans spiritum Deo reddidit. Præparaverat sibi vexillum, quo cum ad rogum volebat procedere, sed ministri e manibus eriperunt. *Anno* 1622. *In vita Mastill.*, c. xxviii, n. 22.

P. Sebastianus Chimura Japon primus ex ea gente Sacerdos, post quadraginta annos illi vineæ excolendæ impensus, easdem cum P. Spinola ærumnas carceris, et rogi tormentum, eodem modo inter psalmos cantatos sustinuit. *Ibid.*, n. 25.

P. Camillus Constantinus Italus vitam cœnendo, et concionando inter flammas finivit 15 septemb. anno 1622. *Ibid.*, n. 31.

P. Petrus Paulus Navarrus Italus post triginta sex annos inter innumeros labores, molestia, et pericula exactos, tandem et ipse magna cum constantia et jucunditate vivus crematus est. 4 nov. 1622.

P. Didacus Caravallis Lusitanus aquæ glacialis tormentum tribus primis horis, postea iterum aliis duodecim summa constantia, ad quad etiam socios excitavit, toleravit 24 febr. 1642. *Ibid.*, n. 32.

P. Antonius Iscida Japon., a quibusdam Pintus vocatus, raræ virtutis, humilitatis ac charitatis, quadraginta tribus annis, quibus in Societate vixit, multa millia Gentilium convertit : tandem captus Nangasacki, post triennem carcerem arctissimum, per triginta dies bullientes aquas sulphureas sustinuit, vivusque assatus est 3 sept. 1622. *Ibid.*, n. 3.

Nicolaus Keyan Fucunanga post quadraginta sex annos culturæ Japonicæ impensus, et primus suspensus pedibus, et medio corpori immisus in foveam arctam, clausamque duabus tabulis excisis ad captum corporis, omni luce et sustentatione adempta, qua triduo hoc tormentum est passus

fortissime, et interea Gentilibus Christum prædicabat, asserens, Dominam nostram quem in scrobe fuisse, aquamque et alia oblectamenta præbuisse. Et vero custodes scyphum cum aqua in illa invenere, manusque Nicolai solutas : noctu quoque aliquoties supra tabulas sedentem viderunt ; cumque eum interrogarent, num dolorem aliquem sentiret, non alium, aiebat, quam quod Xogonum et totam Japoniam ad Christum perducere non posset. Mortuus est anno 1633 31. jul. *Ibid.*, n. 60.

P. Paulus Saitus Japon. septem diebus tormentum fossæ sine omni cibo et potu sustinuit, tamque diuturnum cruciatum non aliter ac blanditias risit, mirantibus ministris, et carnificibus. Cum ejus et socii P. Benedicti Fernandez corpus suum cremaretur, colloqui, et quasi adhuc spirarent, gratulare sibi mutuo sunt visi, imo manifeste auditi. Anno 1633, a. oct. *Ibid.*, n. 67.

P. Rochus Gonzalez cum ab impio prædicatori, ne molitionibus ejus nefariis obstaret, occisus esset, cadaver illius vulneratum, dilaceratum, et circum Ecclesiam, quam excitat, ignominiose raptatum, voce e pectore formata sicarios increpuit, suisque sceleris attonitos admonuit. Anno 1628, 15 nov. *Bibl. Soc., Indice Martyr.*, n. 211.

P. Joannes de Castillo Hispanus jaculis confossus, et per aspera montium fune raptatus, arborique expansis brachiis illigatus, et post multa repetita vulnera, validiore saxo vertici impacto occisus est, tertio ac trigesimo ætatis anno, sexta feria, hora post meridiem tertia. Anno 1628, 15 nov. *Ib.*, n. 213.

P. Gasparus Pæz cum Socio P. Joanne Perela in silva, ubi latebat, deprehensus, mox ibi per multa vulnera Deo immolatus est, sed ita ut sanguis P. Gaspari non defluerit in terram, sed tenues in auras illico evanuerit. Anno 1634. *Bibl. Soc., Indice Martyr.*, n. 249 et 250.

P. Christophorus de Mendoza Hispanus a Paraquariensibus veneficis primum sagittis eminus confossus, mox cominus gladiis appetitus, altera aure recisa, labro superiore cum dentibus revulso, tum aure altera, naribusque recisis, lingua a radice, et continente ducta, toto thorace, ventre, virilibus convulsis atque abstractis confectus est, Christum illis ad extremum usque prædicans.

Anno 1636, 24 mart. *Bibl. Soc., Ind. Mart.*, n. 257.

P. Marcellus Mastrillus a S. Francisco Xaverio mirabiliter ex vulnere sanatus, et in Japoniam missus, ibidem primo diductis cruribus per conortum funem suspensus, capite in aquam demerso, relexente se fune violenter rotatus est. Dein scalis supina facie alligatus, infusa in faciem magna vi aqua post suffocatus est. Tum candente ferro virilia ustulatus, cum inverecundam barbariem detestatus esset, atque cruciamento rursus admotus est. Demum prælata mortis causa, quia fidem exterm venisset prædicatum, jumento eductus, catenatus, os dentato constrictus lupato, capitis partem dextram rasus, levam minio probrose infectus, capite in scrobem genium tenuis depresso pedibus suspensus in quartum usque diem, post illa depositus, tertio acinae obtruncatus est. Anno 1637, 17 octobris. *Ib.*, n. 258.

P. Gerardus Paesman, et P. Joan. Baptist. Boddens Rector Trajectensis Collegii, et Philippus Nottin, a Batavis hoc genere tormentorum exercitii sunt. Humile scabellum vel potius ferrea crux ducussata erat, nec omnino acuta, nec adeo obtusa, quin reus nudus insidens, apte eam, mole corporis gravantes admitteret. Manus pedesque revinctus per extremos digitos ad tergum, mancis et compedibus aculeatis onustus sedebat : collo injectum collare ferreum triplici aculeorum ordine, sursum deorsum, et directe obversorumque, ne quo se miser sine dira lincinatione posset convertere : nam collare pendeat ab quatuor ergastulis illigatum. Tum vero ignis struebatur luculentus, quo homo immotus torreretur. Pellis flammaram vi divulsa, ubi in pustulas evaserat, ferro secabatur, et acetum sale et pyro pulvere mixtum infundebatur. Sic nostrum ustulati foedissime, collum laceratum, pudenda semiambusta, hiantia late vulnera. Omnes tandem gladio interempti, P. Joannes Baptista tamen non prius, quam viginti duabus horis primo dein ad quaternas alteras dirissime tortus, ita ut stare nequirit, post verenda abrasa, umbilicum virgis prolicium, et intestinum secretius, genua difflisa, levam manum emortuam, totumque corpus laceratum, demum ad supplicii locum portatus, et sedens collo securim exceptit. *Ib.*, n. 261 et seqq.

EXEMPLA PROFANA.

De Socrate sic scribit Seneca : « Si exemplum desideratis, accipite Socratem per omnia aspera jactatum : invictum fame et paupertate, quam graviores illi domestica onera faciebant, et laboribus, quos militares quoque pertulit, et quibus ille domi exercitus. Sive uxorem ejus spectes moribus feram, lingua petulantem, sive liberos indociles, et matrem, quam patri similiores. Sic fere in bello fuit, aut in tyrannide, aut in libertate bellis et tyrannis saviore. Viginti septem annis pugnatum est : post finita arma triginta tyrannis noxæ dedita est civitas, ex quibus plerique inimici erant ; post carcer et venenum. Hæc usque eo animum Socratis non moverunt, ut ne vultum quidem moverit. Non hilarem quisquam, non tristiores vidit Socratem, æqualis fuit in tanta inæqualitate fortunæ. » *Er. civ.*

De Catone idem ait : « Vis alterum exemplum ? accipe hunc M. Catonem recentiorum, cum quo, et inferius fortuna egit, et pertinacius. Enarratis postea variis calamitatibus addit : Nemo mutatum Catonem, toties mutata Republica, vidit : Eundem se in omni statu præstitit, semper idem existit. » *Ibid.*

M. Attilius Regulus primi Punici belli gloria, suis se hostibus stitit ex data fide. Illi regulum in arcem ligneam infixis undique præcutis clavis exstantibus conjecerunt, palpebris prius resectis. Fixerunt autem clavi, et quocumque fatigatum corpus reclinasset, vulnere incumbabat, et in perpetuum vigiliam suspensa sunt lumina. Ita virum fortissimum vigilantia pariter, et continuo doloris tractu necaverunt. *GELLIUS, l. I, noct. Att., c. IV, VALER., l. IX, c. II.*

Pericles ab homine improbo magnam diei partem convitiis laceratus siluit, et sustinuit. Ubi vero sub vesperam domum se recepit, secutus est imprudentissimus convitiator, et velut molossus non dimissurus eum, quem faucibus semel prehensisset. Cum uterque ad januam domus pervenit, præcipitante jam nocte, Pericles unum e domesticis accersens : « Heus tu, inquit, facem mox expedito, et huic usque in suam domum præfero. » *DREX., in Rossii, p. II, c. v, § 4, n. 5.*

Cum Constantini Imper. statua a furiosis hominibus saxis fuisset impetita, et aulicium ad vindictam incitarent, ipse manu faciem oberrans, nihil, inquit, in vultu vulneris deprehendo, non ergo vindicta opus est. *Id., § I.*

Theodorus rogatus, cur neminem eorum a quibus injuriam acceperat, securi addeceret ? O utinam, inquit, vel mortuos ad vitam revocare possim ; cur vivos ob injurias mulctem ? *Ibid.*

Hanc rationem, inquit Seneca, sequitur Deus in bonis viris, quam in discipulis suis Præceptores, qui plus laboris ad his exigunt in quibus certior est spes ; quam in militibus Duces, qui optimos milites ad durissima mittunt. Sic ignem experitur in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio tormentum in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Ut severi parentes filios educant durius, ita Deus suos, ut ex doloribus, et damnis colligant robur. Dicant hi ergo, digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura pati possit. Ecce par Deo dignum, vir fortis, cum mala fortuna compositus. Ecce spectaculum Deo dignum. *L. de Const. sap.*

Pueri apud Lacedæmonios in ara Dianæ, cui ab indicibili virtute cognomen Orthiæ, flagellis quotannis stato sexto ex more totum diem cadebantur, itaque frequenter durabant ad mortem usque hilares ac læti, concertantes inter se de victoria, quis ipsorum diutissime fortissimeque toleraret verbera. Unde nec gemitum, nec vocem dabant nec scapulas aut corpus contrahebant, tantum ut victoria hujus nomen, et decus obtinerent. *PLUT., in Lacon.*

Agesilaus cum arderet podagræ doloribus eumque Carneades invisisset, aique exiret tristis ; mane, inquit, Carneades, nihil enim illinc huc pervenit, ostensis pedibus et pectore, significans, pedes quidem dolore, sed animum dolore vacuum esse. *Ibid.*

Possidonius cum interdum gravissimis morbi doloribus cruciaretur, dixisse fertur : « Nihil agis dolor, quamvis sis molestus, nunquam te confitebor esse malum. » *PROLYANT. LANG., f. 857.*

S. Bonaventura sequens de quodam Alexandri M. Ephebo recenset exemplum : Legitur, inquit, quod Alexandro Macedoni Regi immolanti puer nobilis cum incenso astabat, super cuius brachium ardens carbō de lapsus est. Licet ergo ignis carnes adure-

ret ita, ut dolor exustionis ad nares omnium adstantium perveniret, puer tamen adeo patientis fuit, propter reverentiam domini sui Regis, quod non solum dolorem silentio pressit, sed brachium omnino immobile tenuit, tamquam vilipenderet penam ignis. Ergo si tanta fuit patientia ob reverentiam Regis dæmonibus immolantis, quanta debet esse in hominibus Christianis ad suum Regem, qui ad hoc propter nos pati voluit, ut nos patientes esse doceret ? *S. BON., s. III, de S. And.*

Cujusdam Philosophi discipulus peccavit, dum sibi peteret dimitti, dixit ei Philosophus : Nec indulgeo tibi, nisi tribus annis aliis dederis mercedem his, qui te injuriis et convitiis affecerunt. Quo facto dixit ei Philosophus : « Veni modo, et ingredere civitatem Atheniensium, ut illic sapientiam addiscas. » Ad portam autem urbis erat quidam senex sapientiæ studiosus, qui omnes ingredienti experienti causa convitiis afflicto et injuriis, quod cum dicto juveni faceret, ipsi risit ; cui senex : « Quomodo, inquit cum ego injuriam tibi faciam, tu rides ? » Respondit juvenis, « quod tribus annis mercedem dedi pro hoc, quod tu gratis impendis. » Tunc senex ait : « Ingrederere civitatem, quia dignus es. » *BELLOVAC., Spec. Mor., l. II, dist. LXXXVIII.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut nauta non mox propter contrarium ventum exonerant, aut deserunt navem, sed paulum sustinentes, aut pugnantis adversus procellam, iterum rectum cursum inveniunt ; ita et nos in contrarium spiritum incurrentes, crucem pro velo erigamus, et sine periculo sæculi hujus navigium explicamus. *Vit. PP., l. V, libell. VII, n. 18.*

Sicut solis et lux et vis est integra, etiam inter opposita, nec, quoties inter nubila luxit, est sereno minor, nec tardior quidem, ita opposita virtuti nihil detrahunt, non est minor, nec minus fulget. Nobis forsitan non æque apparet, ac nitet, si eadem est, et more solis obscuri in occulto vim suam exeret. Hoc itaque adversus virtutum possunt calamitates et damna, quod adversus solem potest nebula. *SENEG., ep. XCII.*

Sicut pelles acceptas abstringunt, exten-

dunt, percutiunt, ac parietibus ac saxis allidunt coriarii, et aliis innumeris artificis ad suscipiendam flecturam reddunt idoneas, ac deinde pretiosum colorem inducunt ; ita quoque facit in hac vita Deus, dum animam ad virtutem aptam vult reddere, adstringit, et affligit, ut idoneam magis ad bona suscipienda reddat. *CASSIAN., coll. VI, n. 10.*

Sicut debilis stomachi signum est, duriorum cibum non posse concoquere ; ita parum robustæ virtutis indicium est, adversitates non posse æquanimiters sustinere. *ARIST. l. IV, Eth., c. III.*

Sicut trituratur terra, et vomere scinditur, ut germinet : universæ putantur arbores ut fecunditate sua alimoniam hominibus subministrant ; in vite utiles purgantur racemi, ut uberiores fructum exhibeant, ita ab adversariis Justi opprimuntur, et tacent : damna temporalium patiuntur, et diligunt : calumniantur, et obsequia impendunt : beneficum odientibus, pro persecutoribus orant se corporis Christi membra esse fatentur, consortesque Sanctorum, qui mala perfendo gloriæ coronam percipiunt. *S. LAUR. JUST., de Int. conf., c. II.*

Sicut oculus cæceniens, etiam clarissimo meridie tenebras intuetur, atque alia pro aliis objectis aspiciit, sanus autem etiam vesperare poterit corpus sine offensione manuducere ; ita si oculus mentis sanus fuerit, non nisi materiam tenebris tristitiæ, et perturbationis obnoxiam videbit. *CHR., Or. I de Pron.*

Sicut si pinguis capo aut anser assandus varui affigitur, non opus est multa pinguedine, sed suo se succo illi perfundunt, aridum autem et exsuccum nec affusa pinguedine bonus et sapidus efficitur ; ita qui in sagina spiritus fuerint, suo se succo perficiunt, et colorant in adversis, secus vero illi, quibus pinguedo devotionis et spiritus interni deest. *DREX., in Gymn. patient., p. III, c. IV, § 4.*

Sicut qui pilulas deglutire volunt, eas crustula, vulgo hostia involvunt, ut amaritatem minus sentiant ; ita quivis tribulatus adversitates suas exemplo Christi, qui pro nobis hostia factus est, proposito levius foret. *Ibid.*

Sicut equi, quando sunt timidi, subditis calcariibus ad ea loca, quæ fugiunt, accedenda impelluntur, ut sic videant nihil periculi subesse, et timere desinant ; ita quivis homo in mentem suam, si cruciatus et cor-

temptus horreat, per meditationem ei ostendere debet, nihil in illis mali, sed potius plurimum boni inesse. IDEM.

Sicut sitis corporalis tribus potissimum temporibus sentitur, nempe quando valde laboravimus, aut sanguinem multum fudimus, aut gravem æstum passi sumus; ita spirituales sitim seu desiderium patiendi illi maxime concipiunt, qui vel multum in vinea Domini laborarunt, vel multum passi sunt, vel per orationem ad Solem justitiæ, et ignem divinæ charitatis appropinquantes, gravem divini amoris æstum concepterunt. IDEM.

Sicut quadratus lapis, quacumque vertitur, stat immobilis; ita animus Christiani, omnes adversus casus, stantem inveniat, oportet. S. AUG., in Ps. LXXXVI.

Sicut rupes, quo pluribus fluctibus verberatur, ipsa quidem clarior efficitur, ac ne tantillum quidem emovetur; aquarum autem, quæ illi alliduntur, tumorem nullo negotio dissipat, ac delet, non jam percussiones eas, sed ab illis percussa: eodem scilicet modo is quoque, qui patientia exploratus est, insidias omnes superat, quodque mirandum est, plus roboris hinc colligit, non inferendis, sed perpetiendis malis, eos qui inferunt, mira facilitate frangens ac dissolvens. S. CHRYS., *epist.* CCVII.

Sicut latrones libenter invadunt loca, in quibus sciunt esse thesaurum, et cum arcam frugerint, thesaurum rapiunt; sic demones libentius, et vehementius impugnant viros justos, habentes thesaurum, id est, copiam meritorum, et cum cor frugerint per impatientiam, totus thesaurus virtutum, et meritorum amittitur, quia cor fatui quasi vas contractum. Bene servantur viri justi per patientiam, quia sicut dicitur I PETRI, IV. « Qui patienter secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendant animas suas. » BELLOV., *Spec. mor.*, l. I, *dist.* LXXXVIII.

Sicut luminaria cœli non curant, quomodo exerceant dies, et noctes, quamvis tanta mala videant fieri super terram, et sicut luminaria patienter ferunt, quicquid de eis homines fingunt; ita justī debent patienter ferre omnes, etiam falsas de se criminationes; nam qui perdidit tolerantiam, non est quasi luminare clarum desuper, sed obscuratus est, et de cœlo cecidit: Lucetis, inquit, sicut luminaria in mundo, S. ANSEL. ap. MANSI., *dis.* XX, n.

NECESSITAS. — Sicut gubernator in fine navis existens undique considerat pericula, ne incidat in ea, ne impingat in saxum, vel terram, vel sabulum, declinando vitat ventum contrarium; sic homo patiens debet undique esse circumspiciens, pericula declinando, ne navis animæ frangatur per impatientiam. Patientia est quasi anchora mentis, firmans eam, et tenens immobilem in tempestate adversitatis. Patientia similis est cuidam pisci, qui dicitur Echinus, de quo legitur in historia transmarina, quod si adhæserit navi, reddit eam immobilem. S. BERN., *ib.*, *dis.* I, n. 1.

Sicut cera ut plurimum, nisi recalescat, aut præmolliat, non facile in se recipit sigilli impressionem; ita et homo, nisi laborum, et multifariæ infirmitatis probetur exercitio, nequitiam sinet insigniri se signaculo divinæ gratiæ. Ob quod Paulo respondit Dominus: « Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. S. ZENOSER., *de Patient.*

Sicut granum, priusquam granario inferatur, in area flagellis percutitur, in aera sublevatur, purgatur, et cribatur; ita quoque priusquam instar grani in cœlum deferamur, « triticum autem congregato in horreum meum » tolerata in adversis patientia præcedere debet. MANSI., *dis.* X, n. 3.

Sicut omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vernem suum; ita in quovis hominum statu sunt tribulationes, amori proprio displicentes, adeoque semper patientia est necessaria. Etiam unicus, qui fuit sine peccato, non tamen fuit sine flagello. S. AUG., in Ps. XXXI.

Sicut nemo messem sperare potest, qui prius terram aratro non prosodit; ita retributionis æternæ gaudium nequaquam in cœlo colligit, nisi prius in terra cum fletu, et gemitu, et amaritudine seminetur, sicut scriptum est: Euntes ibant, et flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. S. GREG., in Ps. III, *pen.*

Sicut vinum nunquam servatur in bonitate sua, nisi in fœce; ita nec boni et justī probentur in tribulationibus, et iniquorum persecutionibus, uti Christus sanctæ Birgittæ dixit. L. I, *Revel.* S. Birgittæ, c. XXXVI.

Sicut fabrica, quæ super arenam fundata

est, etiamsi flumina ventique non urgeant, ipsa tamen paulatim æstuens instabilis arena, ædificii crepidinem subruit, et evertit, adamas vero nec malleis cæsus infringitur; ita qui a semetipso non læditur, ab aliis lædi non potest, qui vero animi sui ignavia proditur, etiam nullo perurgente defluit, et resolvitur. S. CHRYS., *hom.* XVI, *quod nemo læditur nisi seipso.*

UTILITAS. — Sicut ignis auro admotus probius efficit; ita calamitas aureos animos subiens, puriores ac præstantiores reddit. Hinc, ut alibi ait, quemadmodum cum in confinatorium fornacem aurum aurifex iniecerit, tandiu illud ab igne examinari sinit, quousque purius viderit evasisse; ita quoque Deus tandiu hominum animas probari malis permittit, quousque puræ fiant ac splendide, multamque ex illa exploratione utilitatem perceperint. S. CHRYS., LXVI. S. in *Paral.*

Sicut matres fricant in balneo ad salutem filios, et licet vociferantibus non parent; ita Deus plenus charitate ideo clamantes in tribulationibus non exaudit, ut sanet et pareat in sempiternum. S. AUG., in Ps. XXXII.

Sicut optime lotrix ponens pannum inter procellas, ut ex motione aque fiat purior et candidior, diligenter cavet ictus undarum ne submergatur pannus; ita Deus ponit in præsentī amicos suos inter procellas paupertatis, et tribulationis, quibus ad æternam vitam purgantur, custodiens eos diligenter, nec vel nimia tristitia, vel tribulatione intolerabili demergantur, uti B. Virgo S. Birgittæ dixit. L. III, *Revel.*, c. XXX.

Sicut arbores, quæ in umbris aluntur, majorem molliem contrahunt, atque ad fructum procreationem minus commode redduntur; quæ autem aeris inconstantiam experientur, ac ventorum impetus, ardentisque solis radios excipiunt, plus roboris hinc colligunt, et foliis abundant, ac fructuum copia curvantur; ea est afflictionis natura, ut eos, qui eam strenuo, ac placido animo ferunt, rebus acerbis superiores, ac diaboli telis sublimiores reddat, insidiasque aspernari doceat. S. CHRYS., *ep.* V.

Sicut ignis, quo plus agitur, plus serpit; ita virtus, nisi exerceatur, languescit, læcessita autem crescit. S. LAUR. JUST., *de Casto con.*, c. VI.

Sicut in cera, nisi multum tepefacta et

molliata sit, non potest sigillum imprimi; ita animus virtutes recipere non poterit, nisi adversitatibus, laboribus, et infirmitatibus probetur; idcirco Dominus B. Paulo dixit: Sufficit tibi gratia mea, virtus enim in infirmitate perficitur. S. DIADOCH., c. XCIV.

Sicut mater habens puerulum tenerissime sibi dilectum, quem semper sibi desiderat adesse, cum puer ad contubernale, gratia colludendi vult discurrere, circa quolibet loca vicina larvas vel aliqua apponit horrenda, unde puer territus currat in sinum suum; sic ego desiderans te lateri meo nunquam deesse, permitto, ut amici tibi in aliquo contrarientur, ut dum in nulla creatura fidelitatem reperis, eo ardentius ad me recurras, quanto apud me omnium delectationum et fidelitatum abundantiam stabiliorum recognoscas. Ita Christus S. Gertrudem allocutus est. L. III, in *fin.*, c. LXIII.

Sicut uva, quamdiu pressuram non sentit, sterilis manet, et nihil emanat; ita animus humanus, nisi in torculari adversitatum positus, vinum præstantium actionum, quo Deus non modice recreatur, non destillat. S. AUG., in Ps. LIX.

Sicut rosa aminis suaviter redolet, pulchra est visu, lenis tactu, et tamen non crescit nisi inter spinas, quæ sunt asperæ tactu, deformes visu, nihil redolentes; sic etiam boni et justī homines licet lenes sint patientia, pulchri moribus, suaves exemplo bono, non tamen probantur neque proficiunt, nisi inter malos, uti B. Virgo S. Birgittæ dixit. L. I, *Revel.*, c. XXII.

Sicut, qui avem servare cupit, ei abscondit alas, ne avolare possit; ita Deus sæpe iis, quos prædestinavit, alas divularum, voluptatum, et honorum præscindit, ne ab illo recedant, et ad pristina pericula mundi revertantur. GRANAC., in *Duce peccat.*, f. 793.

Sicut arbores firmas ventorum impetus irruens, et undique jactans, non evellit, sed et solidiores, firmioresque his incursum reddi; sic et animam sanctam, et hic viventem, tentationum incursum et tribulationum non supplantant, atque etiam ad majorem patientiam præparant. S. CHR., *h. iv.*, *ad Pop.*

Sicut qui male agit, bona sibi convertit in malum; ita qui bene patitur, mala ea sibi vertit in bonum, nempe in perferendis

malis bonus evadit. MARSIL. FIGIN., l. V, ep. ad Bap. Salvin.

Sicut qui in litteris formandis tyrocinium ponit, plus proficit, dum solus ipse magno labore et contentione litteras utcumque hinc inde lituris efformat, quam dum magistro manum ejus ducente eleganter, et nullo propemodum studio eas depingit; ita fit, dum in virtutum exercitatione quodammodo destituti, supremos conatus adhibemus. PENN., p. II, c. XX.

DIGNITAS. — Sicut gubernatorem navis tempestas, athletam stadium, militem acies, magnanimum calamitas, sic Christianum hominem tentatio probat; et quemadmodum athletas certaminum labores coronis ad se alliciunt, ita etiam homines Christianos probatio, quæ ex tentationibus descendit, ad perfectionem ducit, si modo cum decenti tolerantia, et omni gratiarum actione, quæ a Domino ordinantur, susceperimus. S. BASIL., *Orat.* XI.

Sicut liliū effundit odorem acutum, qui non placet omnibus, sed debilibus vehementem odore capitibus dolorem affert; ita boni bonitate ordinaria placent omnibus, qui vero excellunt sanctitate, non sanctis etsi bonis, non placent. VINC. JUST., c. XV, in *Vit. S. Lud. Bertrandi*.

Sicut aqua angustiis conclusa in altitudinem tumoris erigitur; ita sæpe anima angusta periculis exaltatur. S. CLM., s. XXVI.

Sicut palma inferius tactu aspera est, et quasi aridis corticibus involuta, superius vero, et visu et fructibus pulchra: inferius corticem suorum involuptionibus angustatur, sed superius amplitudine pulchræ viriditatis expanditur; sic vita electorum despecta inferius, superius pulchra; in imo quasi multis corticibus involvitur dum innumeris tribulationibus angustatur: in summo vero illa quasi pulchræ viriditatis foliis, amplitudine retributionis expanditur. S. GREG., *XIX Mor.*, XVI.

Sicut annulus est signum desponsationis; sic adversitas tam corporalis, quam spiritualis, verissimum signum est electionis divinæ, et quasi desponsatio animæ cum Deo, in tantum, ut gravatus quisque veraciter, imo confidenter dicere possit illud: Annulo suo subarrhavit me Dominus Jesus Christus. S. GERT., l. II, in *fin.*, c. X.

Sicut unguenta, nisi commota, redolere latius nesciunt, et sicut aromata fragran-

tiam suam non nisi, cum incenduntur, expandunt; ita viri sancti, qui virtutibus redolent, in tribulatione innotescunt. S. GREG., præfat. in *Mor.*, c. II.

Sicut non laudatur gubernator, qui nulas procellas expertus est, sed qui adversus ventos renititur, insurgit adversus fluctus, non timet, vel cum elevatur undis navigium, vel cum ad profundi ima deprimitur; ita, et ille laudandus est gubernator sui, qui ea, quæ adversa sunt, vincit sapientia, virtute superat, secundis non extollitur, adversis non frangitur. Rege ergo teipsum, quando turbatur animus, mens fluctuat. S. AMBR., s. VIII.

Sicut non est arbor solida, et fortis, nisi in quo frequens ventus incurSAT, ipsa enim vexatione constringitur, et radices certius figit: fragiles sunt, quæ id aprica valle creverunt; sic ad ferenda adversa fragiles sunt, qui non fuerunt exercitati usu malorum. SENECA, l. *de Provid.*

Sicut apibus mel præbet thymus, acerrima, et aridissima herba; ita homines cordati e rebus advertissimis convenies aliquid, et commodum decerpunt. PLUT., l. I, *de Tranq.*

Sicut Paneratiastes admirandus est, et illustris, etiam cum artem intra se habet: sed cum artem, et vires exerit, cum ictus tolerat, cum ferit adversarium, tum vero maxime est clarus, et illustris; sic vestra salus tum maxime exeritur, augecitur, cum tolerat, cum patitur, cum fortiter omnia sustinet. S. CHRYS., hom. II in *Cor.*

JUCUNDITAS. — Sicut delicate feminæ magis delectantur penes se habere olfactoria delectabilia, quam alia xenia, quod in eorum fragrantia delectantur; sic ego (dixit Christus S. Birgitta) valde delector in cordibus eorum, qui gravamina sua cum humilitate, patientia, ex gratitudine fiducialiter committunt meæ propriæ pietati, quæ diligentibus se universa commutat in bonum. L. IV in *fin.*, c. XII.

Sicut amicus dum manus ejus ab amico in signum amoris arectis stringitur, jucundum sibi potius, quam molestum, quem pressio talis generat, dolorem esse faletur; ita et tribulatio quævis lætitiā potius, quam, mœstitiam parit, si a Deo in signum sui erga nos amoris immissa credatur. NIER., l. I, *de Ador.*

Sicut is, qui ad mortem crudelem damnatus esset, gauderet, si tale supplicium in

unicum colaphum mutatum audiret; ita merito gaudere debet qui tribulatur, si meminere, æternam penam sibi in temporalem fuisse commutatam. NIER., l. c.

Sicut si Princeps cuiquam crucem ligneam sed auro repletam ostenderet, eamque donare se diceret, si in domum suam asportaret, omnis labor in ea ferenda subeundus, utique jucundus potius, quam ingratus accideret; ita pari lætitiā, et alacritate crucem spirituales suscipere debemus, utpote quam simus auro nobilissimo celestium meritorum plenam, nobisque promissam, si eam in domum nostram, id est, celestem patriam feramus. ANONYM.

ÆQUITAS. — Sicut æquum est, qui aliquot millia florenorum debet, libenter centum offerat, si hos pro toto debito acceptare velit creditor; ita non minus æquum, ut in hac vita libenter per patientiam temporarium, et transeuntium adversitatum solvamus, quod in altera vita per æternarum penarum tolerantiam fuisset persolvendum. ANONYM.

Sicut si quis molem gravem, aut cancrum in pectore serpentem, graviterque affligentem, sine opera et sensu et somno abstulisset, utique magnum beneficium reputares, æquoque animo sustineres; ita etiam si creaturas quascumque Deus auferat, gaudere potius, quam tristari oportet. NIEREM., in *L. de Ador.*

Sicut si quis ob Martyrium consequendum delineretur carcere, et per hoc impeditur a juvando proximo, non multum angere, sed facile divinæ voluntatis se resignaret; et ita sollicitus esse non debet, qui per morbum a consuetis officiis impeditur, cum ab eadem Dei voluntate, a qua tormenta permittuntur, morbus etiam infigitur. CASP. TASCH., in *Matth. dol.*

Sicut Urinatores proposito præmio totos se in mare projiciunt, idque magna cum celeritate, et alacritate; ita et quisvis homo considerans præmium a Deo propositum, magno cum gaudio in mare tribulationis conicere se debet. ANONYM.

Sicut viator secum portans quandam litteram cambialē in pera sua, virtute cuius v. g. Antuerpiæ triginta scutorum millia recepturus est, tametsi innumeris cum periculis, molestiis, sudoribus, et anxietatibus, iter illud prolixum et laboriosum Roma Antuerpiam usque conficiat, propter certitudinem tamen, qua se Antuerpiæ di-

vitem futurum esse novit, itineris molestiam æquanimitè sustinet; eodem prorsus modo omnes nos, qui viatores sumus, et ad celestem patriam peregrinamur, omnes misere hujus vitæ labores, et angustias libenter sustinere debemus, confortati spe vita æternæ retributionis. MANSI., d. XVIII, n. 5.

MOTIVA.

NECESSITAS. — Quia sic requiritur « status Christiani, » juxta illud S. Lucæ: Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. ACT., XIV, 21.

« Status peccatoris: » peccata enim a nobis separant Deum, cruciatus vero illum nobis reconciliat, præparatque proprium ac propinquum. Hinc S. Gertrudi revelavit Christus: Quo universalior, et gravior est passio, eo puriorem clarificationem animæ præstat. Et specialibus afflictio, vel exercitatio cordis in humilitate, patientia, et similibus, tanto magis animæ candorem conferunt, quanto eam viciniis, efficacius, et proprius tangunt. L. III de *Pro gra.*, 8.

« Status Religiosis: » quia, ut bene advertit P. Baltassar Alvarez, Religio est scola mortificationis, et ad eam venimus, ut essemus discipuli facienda Crucifixos. L. III in *fin.*, c. XIV, *Vit.* 634 f. Vel ut S. Thomas dicebat, est, et status penitentis. S. THOM., *Opusc. Clim.* Vel ut Climacus assererat, perpetua naturæ violentia. *Grad.* I. Hinc memorato P. Baltassari Alvarez Christus ipse quondam dicebat: « Si Religioni hujusmodi fel deesset, quid tibi mei causa perferendum superesset? » et tunc mihi occurrebat, inquit idem P. Baltassar, quod si ego essem qualis deberem, debuissim potius similes fellis haustus, imo etiam amariora optare, et si hujusmodi difficultia, et ingrata vitæ justis deessent, idem esset, atque si coronæ Christi spinæ deessent, aut auri cuspidis vesti pretiosæ.

« Status vitæ humanæ: » qui nihil aliud est, quam militia super terram, et lucta cum demone: quem quidem, teste S. Laurentio Justiniano, nihil æque confundit, quam si in carne passibili hominem intuetur inter tot mundi discrimina Conditoris obedientiam custodire, quam in celo positus servare ipse neglexit. Implacabili etiam